Lane

DE

FABULIS ATELLANIS

SCRIPSIT

FRAGMENTAQUE ATELLANARUM POETARUM

ADIECIT

DR. EDUARDUS MUNK.

LIPSIAE

SUMPTIBUS K. F. KÖHLERI

1840.

Praefatio.

Habeant sua fata non solum libelli, sed etiam auctores. Quum anno 1826 scriptiunculam de L. Pomponio Bonon. ederem lectorique promitterem, me omnibus, quae veteres de Atellanis tradidissent, collectis copiosam quaestionem de hac poeseos specie habiturum esse, speravi fore, ut non ita multo post promisso stare mihi daretur. Sed paulo post opusculum editum magistri publici munus a me susceptum est, quod me ab antiquitatis studio, cui ad hoc tempus animo morem gerens vacaveram, adeo avocavit, ut literarum veterum curam, cui omne meum tempus dicare in votis erat, dira necessitas intra angustos otii fines cogeret. Ita factum est, ut tum aliis operibus edendis occupatus, tum variis casibus distractus, sero demum ad pensum diu neglectum nuper denuo redirem. Sed moram lucro potius fuisse opusculo nostro, benevolus lector facile intelliget. De materia enim a me tractata passim egerunt etiam alii viri docti, quaeque ab iis prolata sunt, eo minus in disceptationem ac controversiam vocare dubitavi, quo clariorem lucem rei dubiae certamen ab invidia alienum afferre solet. Etenim in arenam me quo-

dammodo vocavit Dr. Car. Ern. Schober, vir eruditissimus, auctor Dissertationum de Atellanarum Exodiis, et de loco Velleii II, 9 contra meas sententias scriptarum. Cuius viri, etsi neque nunc quidem ab eius partibus stare possum, doctrinam et humanitatem tamen lubens agnosco. Magno emolumento mihi in elaborando hoc opere fuit Fr. Dübneri doctissima censura libelli mei de L. Pomponio in Ephemeridibus criticis, quibus nomen est: *Jahrbücher für Philologie und Pädagogik* ed. M. Ioh. Chr. Iahn 1830 p. 431 sqq., qua incitatus sum, ut ea, quae adumbraveram tantum, fusius explicarem, quae praetermiseram supplerem, quae minus recte protuleram emendarem. Itaque non possum, quin Viro humanissimo, quum aliter fieri non possit, hac occasione oblata, has grates publicas referam. Opinionem meam de lingua Osca in Atellanis non usurpata, cui adversari videtur Dübnerus p. 434, non solum non mutavi, sed defendere pluribus argumentis conatus sum. Confirmatur etiam iis, quae nuper de lingua Osca egit Dr. G. F. Grotefend in Rudimentis Linguae Oscae. Docemur enim ab hoc viro docto, linguam Oscam, cuius variae erant dialecti, Latinae veteri quidem fuisse similem (l. c. p. 48), sed Oscae linguae specimina, quae ex monumentis affert, a seriori Latino sermone tantopere recedunt, ut non videamus, qui fieri potuisset, ut Romana plebs actores Osce loquentes intelligeret, quum vel viri eruditi, ut Horat. Epist. II, 1, 56 et Quinctil. I, 6, 40, etiam Latina ab ultimis et iam obliteratis repetita temporibus, qualia sunt Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta esse confiteantur. Tabulae

etiam Bantinae bilingues, quarum in altera parte Latino sermone repetitum fuit, quod in altera Oscis verbis compositum legitur, documento sunt, vulgus Romanum ne ea quidem, quae Osce scripta essent, intellexisse.

Atellanarum fragmenta auctiora dedi, quam qui ante me ea collegerant (Henr. Stephanus, Delrio, Maittaire, Collect. Pisaur., Bothe), quod lector comparatione facta facile animadvertet, nec non studui, quam emendatissima ea in lucem prodere. Sed quum maxima eorum pars a Nonio Marcello petenda sit, cuius sordibus removendis ne Hercules quidem sufficiat, veniae mihi erit, si hic illic mei etiam conatus irriti fuerint. Usus sum his editionibus: Nonius Marcellus, Festus Pompeius, Varro. Impraessum Venetiis apud Magistrum Antonium de Gusago Brixiensem anno domini 1498, fol. (easdem lectiones et mendas praebet ac Brixiens. 1483 et Mediolanens. 1510; Dübner l. c. p. 438). — Non. Marc. de proprietate sermonis — ope vetustissimorum codd. et industria Hadr. Iunii. Antverp. ex officina Christ. Plantini 1565, 8. — Non. Marcell. de propr. serm. Parisiis apud Aeg. Beys 1583. — Nonius Marcellus — adiectae sunt notae Dionys. Gothofredi. Paris. Arnold Sittard 1586, 8. — Non. Marcell. in Gothofredi Auctor. Lat. ling. — Nonii Marcelli nova editio. Additus est libellus Fulgentii et notae (Ios. Merceri) in Non. et Fulg. Sedani Henr. Perrier 1614, 8 (eadem est ac Parisiensis edit. eiusdem anni: Fabricii Bibl. Lat. Tom. III, p. 336 ed. Ernest.). — De Nonii editionibus cf. Hermannus in praefat. ad Plaut. Trinumm. p. VII: „omnino cavendum est, ne quis Parisien-

„sem Non. edit. anni 1614 a Mercero curatam, quae optima „habetur, consuluisse satis habeat. Vehementer enim dis„sentiunt multasque meliores lectiones continent tum Veneo„tae veteres seculi XV, tum Plantin. anni 1565 et Paris. „anni 1583.“ — Locos citatos secundum ed. Sedan. recensui.

Iam his praemissis restat, ut opusculum meum qualecunque lectorum benevolentiae atque indulgentiae vehementissime commendem.

Scripsi Vratislaviae Calendis Maiis anni MDCCCXL.

Constat, poesin cujuscunque populi duplicem esse; aut genuinam, ab ipso procreatam, aut peregrinam, aliunde petitam, quam suo sermoni suisque moribus adaptare soleat vario successu. Id quidem sine ulla haesitatione concedi potest, genuinam tempore alteram antecedere, quum vix ullam gentem omni poetico ingenio destitutam reperias; hoc tamen quaeritur, utra sit fundamentum artis poeticae et monumentorum, quae litteris posteritati tradantur.

Iam Graecis quidem contigit, ut genuinam poetae prius foverent, quam exteram et in summum fastigium perducerent; quum contra Romani propria poesi neglecta alias gentes adirent, a quibus carminum et materiam et formam mutuarentur.

Romanorum genuina poesis Italicae poeseos quasi surculus est, nec fieri potest, ut de illa recte iudicetur, nisi de hac, cuius est fere species, prius sit expositum. Quod quam brevisse fieri poterit, nunc conemur.

Omnis genuina poesis ex indole populi, cui originem debet, diiudicanda est; nec potest, quin commune aliquid habeat, quod ipsius characterem dicere solemus, et materiae et formae impressum, tempori nulli cedentem, poetae invito fere se obferentem, nonnunquam etiam in poesin aliunde petitam irrepentem. Iam qui sit ille, quem diximus, character Graecae poeseos e tot egregiis, quibus superstitibus gaudemus operibus, facile potest intelligi. Apparet, Graecos iam inde ab Homero, quem praeeuntem ceteri fere omnes poetae plus minusve sunt secuti, e natura vitaque id modo sumsisse, quod recto ipsis innato sensu pulcrum intelligerent, quodque nihil offensionis haberet, relicto omni, quod adhaerere solet naturae operibus, vitio. Inde nata est vera ars poetica, qua, ut infra sumus expositurі, Itali omnino carebant. Hinc patet, omnes, quas in Graecis carmi-

nibus invenimus, personas e vita naturaque quidem desumtas, tamen a poetis mira et Graecis propria arte secundum pulcri notionem esse refictas, qua re maxime differunt a grege recentiorum poetarum, qui non e natura hauriunt, sed ex se depromunt, quod ante oculos nobis ponant, et talia figmenta et monstra pro ideis nobis vendunt. Eandem ingenuam naturae imitationem in ceterarum artium monumentis etiam perspicuam esse, non est, quod moneam. Iam forma quoque, qua commoda argumenta Graeci nobis repraesentant, quam omni ex parte perfecta et expolita, quam idonea cuique poeseos generi, quam varia et ubera in exprimendis animi motibus, quam denique sensibus blandiens pulcrique legibus conveniens!

Quae omnia longe aliter apud Italos reperimus. Ducem quidem et hi naturam habebant, non tamen illam maculis vitiisque liberatam eoque quasi nobilitatam, sed nudam et integram, ut hominibus eruditione quidem alienis, at neutiquam ingenii quadam alacritate destitutis se offert. Hanc effingebant atque imitabantur fere superstitiosi, non dissimiles Batavis istis pictoribus, qui neque vitiosa tritaque evitantes, neque recta fortius illustrantes sola accurata naturae imitatione delectant. Itaque merito totam Italorum poesin, quamvis diversam pro gentium moribus vitaeque modo, mimicam dicimus, neque contendere dubitamus, Italos poesin quidem, ut ita dicam, naturalem non vero artificiosam habuisse; quum sola imitatione niteretur, quae artem quidem antecedere debet, ipsa vero non ars est.

Hoc loco non praetereunda est singularis Italorum acies, qua vitia et menda aliorum primo fere obtutu percipiunt et inde natum derisionis et dicacitatis studium, quo olim, ut hodie etiam, ceteris praestabant. Probant haec Fescenninorum similiumque carminum procacitas [1]); versus conviciis pleni et militum in duces triumphantes, et civium in imperatores, quorum multa exempla legimus in Livio et Suetonio; mos ille occentandi [2]), pipuli [3]),

1) Nunc etiam apud Italos moris esse, in nuptias praesertim vetulorum coniugum, quae videlicet iocandi largam materiam praebent, versus ludicros per totam urbem cantare, egregio exemplo ostendit Guilelm. Müller: *Rom, Römer und Römerinnen* Tom. I p. 45.

2) Fest. occentassint: „occentassint antiqui dicebant, quod nunc convicium fecerint dicimus, quod id clare et cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit; quod turpe habetur, quia non sine causa fieri putatur.“

3) Plaut. Aulul. III, 1. 31; cf. Zell. *Ferienschriften* Tom. II, p. 160.

obvagulationis [4]); scurrarum similiumque hominum certamina, quibus convicia ioci causa alternis iactitabant [5]); cognominata multitudo e corporis vitiis desumtorum [6]); denique lex, qua occentantes carmenve infame et flagitiosum condentes fuste feriendos Tabulae XII caverunt [7]). Rudis illa irridendi et iocandi ratio gravitate Romana temperata et ab eruditis viris perpolita postea in urbanitatem est conversa, cuius multa praeclara exempla veteres auctores praebent, quaeque maxime conspicua est in iis poematibus, quae Romanis erant propria, ut in Satira et in cognato genere, epigrammate. Neque dubitavit Cicero [8]) Romanos veteres atque urbanos sales Atticis salsiores dicere, dolet tamen, in urbem infusa peregrinitate vix ullum veteris leporis vestigium apparere.

Iam quaerenti, quae fuerit Italicae poeseos materia, facile persuadebitur, eam omnia ista, quae versibus componi soleant, amplexam esse. Itaque et deorum precationes et maiorum res praeclare gestas carminibus exprimebant, ipsisque versibus post actos labores diebus festis inter se iocabantur. Vestigium tamen nullum exstat, apud Italos fuisse, qui, uti ἀοιδοί Graecorum, carminibus operam prae ceteris navarent, sed ut tempus aut locus ferebat, cuique in poeticum certamen prodire licuit. Memoriae proditur, apud Romanos in solenni convivio senes, ut solent esse peracti temporis laudatores, maiorum laudem versibus et cantu celebrasse [9]). Facile fieri potuit, ut talia carmina, etsi subito fiebant, ore populi posteris traderentur, et verisimile mihi videtur, talia fuisse, quae, ut Varro de vita populi Romani tradit, pueri modesti et assa voce et cum tibicine in conviviis cantarent, postquam Romae leve et contemnendum ha-

4) Fragm. XII Tabb.; cf. Zell. l. c.

5) Horat. Sat. I, 5, 51 sqq. Theocr. Idyll. IV et V.

6) Horat. Sat. I, 3, 43 sqq. — Romanorum nostrae aetatis morem, peregrinos e corporis vitio cognominandi tangit Guil. Müller l. l. Tom. II p. 206.

7) Cic. Tusc. IV, 2, de republ. IV, 10 ed. Mai., August. de Civit. II, 9. Horat. Sat. II, 1, 82, Epist. II, 1, 145 sqq.

8) Ad Fam. IX, 15.

9) Cato in Orig. apud Cic. Brut. 19, Tusc. IV, 2, de Orat. III, 51, Quinct. I, 10, 20. Valer. Max. II, 1, 10. Hor. Carm. IV, 15. — Niebuhrii H. R. I p. 262 ed. 2. Zell. l. c. II p. 172 sqq.

beri coeptum est, tibiis aut ad chordarum sonum cantare[10]. Quae carmina tamen oblectamentis aliunde petitis postea cessarunt, unde factum est, ut iam Ciceronis aetate horum nihil superesset.

Iam ut viri in conviviis laudes maiorum cantu celebrabant, ita iuvenes diebus festis iocularibus ludis delectabantur, alternis versibus vel sub vero, vel sub ficto nomine sese invicem lacessentes. Mori illi alternis canendi (δι' ἀμοιβαίων ἀείδειν Theocr. Idyll. VII, 161) in omni fere Italicae poeseos genere occurrimus[11]: in cantu fratrum Arvalium alterni semones advocare cunctos iubentur[12]; in Fescenninis opprobria rustica versibus alternis fundebant[13]; simili modo milites alternis triumphantem ducem iactabant[14]; adeo mendici sibi invicem

10) Varro apud Non.: „in conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, et assa voce, et cum tibicine". Zell. l. c., qui, dum Varronis locum cum ceteris supra citatis comparat, duplici modo eum explicare conatur. Aut enim pueros eosdem fuisse dicit, qui apud Salios chorum facerent, et versus ab ipsis cantatos e Saliorum carminibus fuisse petitos, aut fuisse, qui, ut ex ipso Varrone apud Non. voc. puerae scimus, in privatis domibus etsi ingenui ministrarent, et quorum fuisset in epulis cantu convivas delectare. Ex Horatii loco supra laudato coniicit, fieri potuisse, ut vicissim primum singuli convivae, deinde pueri, denique plenus chorus cantarent. Quid mihi de hac re videatur, supra paucis significavi. Censeo enim, antiquissimis temporibus convivas singulos ad tibiam aut fides cecinisse et huncce morem Catonem designare. Quum vero, Antiocho rege victo, psaltriae sambucistriaeque et convivalia oblectamenta ludiorum addita essent epulis, auctore Livio XXXIX, 6, Romanis moribus nefas videbatur cantando ceterisque ludicris rebus istis aemulari cf. Nep. Praef. et Epam. 2. Itaque viri quidem ipsi cantu abstinebant, ingenuos tamen pueros in epulas admittebant, qui, quod ipsi olim fecissent, maiorum laudes carminibus antiquis celebrarent; videlicet ne ille a maioribus traditus usus interiret, forte etiam eo consilio, ut hac ipsa re caverent, ne pernicies, quam perditus ambubaiarum ludiorumque grex priscis moribus minaretur, latius serperet. Huc refero Varronis locum, quippe non de ejusdem, de quo Cato, sed de serioris temporis more loquentis. Apparet inde, quid significare velit voce modesti, scilicet ingenui, non impudici et petulantes, uti ludii isti ex Asia Graeciaque arcessiti esse solebant. Cum hoc potest comparari, quod multis annis ante factum est, ut quum fabulae Graecae doceri Romae coepissent, Romana iuventus antiquo more ridicula intexta versibus iactitaret, Liv. VII, 2; conferas libellum meum de L. Pompon. p. 20 sq.

11) „Amant alterna Camoenae" Virg. Ecl. III, 59.

12) V. 4 „Semunis alternei advocapit cunctos".

13) Horat. Epist. II, 1, 146. Liv. VII, 2. cf. C. O. Müller. Etrusc. Tom. II p. 284: „*Der Wechsel der Rede war gewiss (bei den Fescenninen) wesentlich; man liebte ihn bei allen Gelegenheiten, z. B. in den römischen Triumphliedern*".

14) Liv. I, 53. Plin. H. n. XIX, 8.

succinere solebant[15]); denique Siculi pastores plerumque amoebaeo carmine inter se certabant[16]).

Alternis canendi ratio duplex erat: nam vel succinebat alter cantibus alterius[17]), vel alter alteri occentabat[18]); illud certaminis, hoc pugnae speciem prae se ferebat. In utroque lusus vel sub vero, vel sub ficto nomine instituebatur. Ad prius horum generum referendi sunt cantus convivarum, maiorum laudes vicissim celebrantium, Fescennini in nuptiis decantati, ioci dicti versus militum triumphantem ducem comitantium, denique pastorum amoebaea carmina, quae certis legibus ita plerumque instituebantur, ut alter argumentum proponeret, quod alter excipiens totidem versibus retractando superare studeret[19]). Secundum genus colloquii formam referebat. Sub vero nomine institutum conviciis, quibus alter alterum offendebat, refertum esse solebat. Huc pertinent ludi iuvenum Romanorum, qui ridicula intexta versibus inter se iactitabant[20]). Qui ludi non dissimiles fuisse videntur dicteriis, quibus pastores apud Theocritum et Virgilium[21]) sese invicem pungunt, scurrarumque pugnae apud Horat. Sat. I, 5, 51 — 69.

Probabile est, ludos sub veris nominibus institutos, quales erant Fescennini et Satirae vetustissimae, rudiores fuisse, quam ludi, quibus sub fictis nominibus iocabantur, qui quum invidiae minus in se haberent, etiam urbanioribus viris non displicuerunt. Personae, quas repraesentabant, maxime differebant secundum vitae genus, mores, ceterasque conditiones; nam et deos, heroes, regesque in scenam producebant, aeque scurriles et iocosos ac

---

15) Horat. Epist. I, 17, 48, ubi Schol. vet.: „cantilenam mendicorum pulcre expressit, qui succinunt sibi invicem".

16) Theocr. Idyll. V, VI, VII, 52 — 127 et saepius; Virg. Ecl. III, 58 — 107, V, VII, VIII.

17) Calpurn. Ecl. IV, 79: „cantibus iste tuis alterno succinet ore."

18) Occentare, proprie cantu mutuo respondere, ἀντᾴδειν, et quum id genus alternis canendi plerumque flagitiosum esset, haec vox etiam significat opprobria fundere, ut apud Plaut. Merc. II, 3, 70, Pers. IV, 4, 20. cf. Fest. voc. occentassit.

19) Serv. ad Virg. Eclog. III, 28: „amoebaeum autem est, quoties ii, qui canunt, et aequali numero versuum utuntur, et ita se habet ipsa responsio, ut aut maius aut contrarium aliquid dicat".

20) Liv. VII, 2.

21) E. g. Theocr. Idyll. IV, V et Virg. Ecl. III.

ceteros, nec solum populares, sed saepe etiam vicinos ridicule describebant. Tales ludos elementa comoediae fuisse, perspicuum est; nam fictis personis fictum argumentum accedebat, unde fabula, ea tamen admodum simplex, nata est, quum morum iocosa et accurata descriptio summum esset, quod hi ludi appetebant[22]). Hinc orta apud Siculos et Italiae inferioris incolas, inprimis Tarentinos, comoediae ea species, quae ab Epicharmo et Rhinthone aliisque Graecis hominibus postea exculta est[23]), hinc fabula Atellana apud Campanos, hinc Satira apud Romanos. Nec potuit fieri, quin certae personae prae ceteris spectatorum plausum ferrent, quae saepius introductae tandem stabiles factae sunt. Quae fuit origo ridicularum personarum in omni fere harum comoediarum specie obviarum, quales erant ebrii et parasiti in Epicharmiis comoediis[24]), Oscaeque personae in fabulis Atellanis.

De forma omnium istorum carminum, de quibus modo sermonem fecimus, nunc pauca addamus. Etsi litteris mandari non solebant, tamen numerum quendam licet rudem et incompositum exhibuisse eos, extra omne fere dubium est; nam quotiescunque de istis poeseos initiis veteres loquuntur, id ipsum annuunt[25]).

22) Simili modo αὐτοσχεδιάσματα apud Graecos procreaverant et tragoediam et comoediam Aristot. Poet. c. 4 ibique interpp.

23) Egregie quidem de huius comoediae specie disseruit Grysar in libello, qui inscribitur: De Doriensium comoedia quaestiones Vol. I. Colon. ad Rhen. 1828; sed in hac re minus recte fecit, quod in investiganda harum comoediarum origine ea segregare neglexit, quae Graeci coloni ab Italis Siculisque incolis mutuati sint, ab iis, quae ipsi addiderint. Difficillimam quidem talem quaestionem esse, non nego, quum de talibus veteres aut plane sileant, aut omnia ad sua referre soleant; tamen sunt certa quaedam vestigia, quae nos in hac nocte ducere possunt. Secernamus enim necesse est omnia, quae extrinsecus huic poësi accessere, qualia sunt ornatus scenicus, saltationes cum his coniunctae, sermo, metra, ipsum fabellarum argumentum personaeque, denique tempus, quo edebantur. In quibus omnibus Grysar recte nexum invenit, quo haec poesis cum Graeca cohaeret. Sed his, quippe fortuitis, omissis, restat natura poeseos et indoles genuina, quam etiam Graecam esse neque probavit, neque opinor probare potuit. Arcti nostri argumenti fines vetant nos rem prolixius exponere; quae enim hic lectori proponimus, nil nisi adumbratio est. Et quum iam constet, Graecam poesin ad hanc Italicam Siculamque excolendam multum valuisse, non praetermittendum erit ostendere, quem effectum haec in illam habuerit. Ut cetera omittam, media et multo magis recens Graecorum comoedia huic Italo generi tam multa debet, ut si priscam comoediam matrem, hanc Italam comoediam nutricem illorum dramatis generum dicere non dubitemus.

24) Grysar l. l. p. 250 sqq.

25) Virg. Georg. II, 385: „Nec non Ausonii coloni versibus incomtis ludunt“;

Multum eos in hac re adiuvit facultas mira, qua hodie etiam praestant Itali, ex tempore versus pangendi. Metra horum versuum praeter Saturnium nescimus; id tamen licet conicere, versus simili modo compositos fuisse, ut apud nos solent, quum vocum accentus accentui rhythmico neglecta fere syllabarum quantitate adaptarent[26]); hinc monstrosa illa licentia veterum Latinorum poetarum, qua Graecos numeros imitabantur. Iambicus et trochaicus numerus prae ceteris videtur frequentatus esse, quia sponte fere ob indolem sermonis se offerebat[27]). Sic vetustissimum illud Saturnium metrum trochaici numeri erat: constat enim duobus ithyphallicis, ita tamen, ut priori olim pro habito ut videtur etiam praeponeretur anacrusis, qua in iambicum numerum immutatum est. Livius demum Andronicus huic metro primus constantem formam eam dedisse videtur, quam deinde poetae servaverunt. Quum Graecorum metra Romani imitari coepissent, Saturniumque metrum ab istis advenis extrusum esset, tamen porro trochaicus numerus, inprimis septenarius, cantilenis, quibus vulgus delectabatur, aptissimus habebatur[28]); inde Tetrameter catalecticus tritissimus versus exstitit in comoedia et apud Graecos[29]), et apud Romanos, quum in ceteris comoediae generibus, tum in Atellana, ut probant fragmenta; in qua praeterea Tetrameter iamb. cat., illi cognatum metrum, frequentatus est[30]).

Horat. Epist. II, 1, 146: „versibus alternis opprobria rustica fudit"; Tibull. II, 1. Liv. VII, 2.

26) Constat hoc inprimis de versu Saturnio e Serv. ad Virg. Georg. II, 385: „carmina Saturnio metro compta ad rhythmum solum componere vulgares consueverunt". — Saturnium metrum etiam in Umbricis inscriptionibus Eugub. tabb. invenit Grotef. Rudimenta linguae Umbricae Part. II.

27) Cicer. Orat. 56: „magnam partem ex iambis nostra constat oratio"; de Orat. III, 47: „iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles vester, qui natura incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum".

28) Zell. *Ferienschriften* II p. 150: „*das Versmass der Spottlieder ist gewöhnlich der Tetram. troch. cat. Es ist diess das Versmass, in welchem die meisten römischen Volkslieder und Gassenhauer abgefasst waren und zugleich dasselbe, in welchem die ältesten Kirchenlieder geschrieben sind*".

29) De Epicharmiis Tetrametris trochaicis multa cum licentia tractatis egit Grysar l. l. p. 227: „nimirum tam frequens huius metri apud Epicharmum usus erat, ut eam ipsam ob causam Epicharmium a veteribus diceretur, teste Mario Victor. p. 2530",

30) Terent. Maurus de metr. p. 2436. Mar. Victorin. p. 2527.

dammodo vocavit Dr. Car. Ern. Schober, vir eruditissimus, auctor Dissertationum de Atellanarum Exodiis, et de loco Velleii II, 9 contra meas sententias scriptarum. Cuius viri, etsi neque nunc quidem ab eius partibus stare possum, doctrinam et humanitatem tamen lubens agnosco. Magno emolumento mihi in elaborando hoc opere fuit Fr. Dübneri doctissima censura libelli mei de L. Pomponio in Ephemeridibus criticis, quibus nomen est: *Jahrbücher für Philologie und Pädagogik* ed. M. Ioh. Chr. Iahn 1830 p. 431 sqq., qua incitatus sum, ut ea, quae adumbraveram tantum, fusius explicarem, quae praetermiseram supplerem, quae minus recte protuleram emendarem. Itaque non possum, quin Viro humanissimo, quum aliter fieri non possit, hac occasione oblata, has grates publicas referam. Opinionem meam de lingua Osca in Atellanis non usurpata, cui adversari videtur Dübnerus p. 434, non solum non mutavi, sed defendere pluribus argumentis conatus sum. Confirmatur etiam iis, quae nuper de lingua Osca egit Dr. G. F. Grotefend in Rudimentis Linguae Oscae. Docemur enim ab hoc viro docto, linguam Oscam, cuius variae erant dialecti, Latinae veteri quidem fuisse similem (l. c. p. 48), sed Oscae linguae specimina, quae ex monumentis affert, a seriori Latino sermone tantopere recedunt, ut non videamus, qui fieri potuisset, ut Romana plebs actores Osce loquentes intelligeret, quum vel viri eruditi, ut Horat. Epist. II, 1, 56 et Quinctil. I, 6, 40, etiam Latina ab ultimis et iam oblitteratis repetita temporibus, qualia sunt Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta esse confiteantur. Tabulae

etiam Bantinae bilingues, quarum in altera parte Latino sermone repetitum fuit, quod in altera Oscis verbis compositum legitur, documento sunt, vulgus Romanum ne ea quidem, quae Osce scripta essent, intellexisse.

Atellanarum fragmenta auctiora dedi, quam qui ante me ea collegerant (Henr. Stephanus, Delrio, Maittaire, Collect. Pisaur., Bothe), quod lector comparatione facta facile animadvertet, nec non studui, quam emendatissima ea in lucem prodere. Sed quum maxima eorum pars a Nonio Marcello petenda sit, cuius sordibus removendis ne Hercules quidem sufficiat, veniae mihi erit, si hic illic mei etiam conatus irriti fuerint. Usus sum his editionibus: Nonius Marcellus, Festus Pompeius, Varro. Impraessum Venetiis apud Magistrum Antonium de Gusago Brixiensem anno domini 1498, fol. (easdem lectiones et mendas praebet ac Brixiens. 1483 et Mediolanens. 1510; Dübner l. c. p. 438). — Non. Marc. de proprietate sermonis — ope vetustissimorum codd. et industria Hadr. Iunii. Antverp. ex officina Christ. Plantini 1565, 8. — Non. Marcell. de propr. serm. Parisiis apud Aeg. Beys 1583. — Nonius Marcellus — adiectae sunt notae Dionys. Gothofredi. Paris. Arnold Sittard 1586, 8. — Non. Marcell. in Gothofredi Auctor. Lat. ling. — Nonii Marcelli nova editio. Additus est libellus Fulgentii et notae (Ios. Merceri) in Non. et Fulg. Sedani Henr. Perrier 1614, 8 (eadem est ac Parisiensis edit. eiusdem anni: Fabricii Bibl. Lat. Tom. III, p. 336 ed. Ernest.). — De Nonii editionibus cf. Hermannus in praefat. ad Plaut. Trinumm. p. VII: „omnino cavendum est, ne quis Parisien-

„sem Non. edit. anni 1614 a Mercero curatam, quae optima „habetur, consuluisse satis habeat. Vehementer enim dis- „sentiunt multasque meliores lectiones continent tum Vene- „tae veteres seculi XV, tum Plantin. anni 1565 et Paris. „anni 1583." — Locos citatos secundum ed. Sedan. recensui.

Iam his praemissis restat, ut opusculum meum qualecunque lectorum benevolentiae atque indulgentiae vehementissime commendem.

Scripsi Vratislaviae Calendis Maiis anni MDCCCXL.

omnibus priscis sacrificiis usos esse Romanos dicit[38]), quodque tali modo describit: *ἠκολούθουν δὲ τοῖς ἀγωνισταῖς ὀρχηστῶν χοροὶ τριχῇ νενεμημένοι, πρῶτοι μὲν ἀνδρῶν, δεύτερον δ' ἀγενείων, τελευταῖοι δὲ παίδων· οἷς παρηκολούθουν αὐληταὶ ἀρχαϊκοῖς ἐμφυσῶντες αὐλίσκοις βραχέσιν, ὡς καὶ εἰς τόνδε χρόνον γίνεται, καὶ κιθαρισταὶ λύρας ἑπταχόρδους ἐλεφαντίνας καὶ λεγόμενα βάρβιτα κρέκοντες· σκευαὶ δὲ τῶν ὀρχηστῶν ἦσαν χιτῶνες φοινίκεοι, ζωστῆρσι χαλκέοις ἐσφιγμένοι καὶ ξίφη παρηρτημένα καὶ λογχαὶ βραχύτεραι τῶν μετρίων· τοῖς δ' ἀνδράσι καὶ κράνη χάλκεα λόφοις ἐπισήμοις κεκοσμημένα καὶ πτεροῖς. ἡγεῖτο δὲ καθ' ἕκαστον χορὸν εἷς ἀνήρ, ὃς ἐνεδίδου τοῖς ἄλλοις τὰ τῆς ὀρχήσεως σχήματα πρῶτος, εἰδοφορῶν τὰς πολεμικὰς καὶ συντόνους κινήσεις* („haud indecoros motus“, Livius) *ἐν τοῖς προκαλευσματικοῖς ὡς τὰ πολλὰ ῥυθμοῖς.* Quam saltationem ita descriptam Dionysius cum Graecorum Pyrrhicha comparat eiusque Graecam originem ex more licet levibus argumentis ostendere conatur.

Praeter hanc religiosam saltationem alteram eamque mimicam apud Romanos exstitisse, ex eodem Dionysii loco discimus. Pergit enim ita: *μετὰ τοὺς ἐνοπλίους χοροὺς οἱ τῶν σατυριστῶν ἐπόμπευον χοροί, τὴν Ἑλληνικὴν εἰδοφοροῦντες σίκιννιν. σκευαὶ δ' αὐτοῖς ἦσαν τοῖς μὲν εἰς Σιληνοὺς εἰκασθεῖσι μαλλωτοὶ χιτῶνες, οὓς ἔνιοι χορταίους καλοῦσι, καὶ περιβόλαια ἐκ παντὸς ἄνθους, τοῖς δ' εἰς Σατύρους περιζώματα καὶ δοραὶ τράγων καὶ ὀρθότριχες ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φόβαι καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια. οὗτοι κατέσκωπτόν τε καὶ κατεμιμοῦντο τὰς σπουδαίας κινήσεις ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες. δηλοῦσι δ' αἱ τῶν θριάμβων εἴσοδοι παλαιὰν καὶ ἐπιχώριον οὖσαν Ῥωμαίοις τὴν κέρτομον καὶ σατυρικὴν παιδιάν. ἐφεῖται γὰρ τοῖς κατάγουσι τὰς νίκας ἰαμβίζειν τε καὶ κατασκώπτειν τοὺς ἐπιφανεστάτους ἄνδρας αὐτοῖς στρατηλάταις, ὡς Ἀθήνησι τοῖς πομπευταῖς τοῖς ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν πρότερον ἅμα σκώμμασι παροχουμένοις. νῦν δὲ ποιήματι ᾄδουσιν αὐτοσχέδια. εἶδον δὲ καὶ ἐν ἀνδρῶν ἐπισήμων ταφαῖς ἅμα ταῖς ἄλλαις πομπαῖς προηγουμένους τῆς κλίνης τοὺς σατυριστὰς χοροὺς κινουμένους τὴν σικίννην ὄρχησιν, μάλιστα δ' ἐν*

38) Dion. Hal. VII, 72: „*παρὰ Ῥωμαίοις ἐν ἁπάσαις φυλάττεται ταῖς ἀρχαίαις θυηπολίαις*“.

ταῖς τῶν εὐδαιμόνων κήδεσιν. ὅτι δ᾽ οὔτε Λιγύων οὔτ᾽ Ὀμβρικῶν, οὔτ᾽ ἄλλων τινῶν βαρβάρων τῶν ἐν Ἰταλίᾳ κατοικούντων εὕρημα ἡ σατυρικὴ παιδιὰ καὶ ὄρχησις ἦν, ἀλλ᾽ Ἑλλήνων, δέδοικα, μὴ καὶ ὀχληρὸς εἶναί τισι δόξω, λόγοις πλείοσι πιστοῦσθαι ὁμολογούμενον πρᾶγμα βουλόμενος.

Vix opus est, ut dicam, illam saltationem eandem esse, quam Livius cum versibus Fescenninis similibusque coniunctam esse narrat. Quod vero inventutem Etruscam saltandi morem simul inconditis inter se iocularia fundentem versibus imitatam esse dicit, intelligendum est de iocosa ista imitatione, qua, ut Dionysius narrat, serias saltationes ridiculis suis gestibus in risum verterent[39]. Quod ludi genus Dionysius iure vetus Romanisque proprium dicit; non enim aliud est, quam Satira Romana, unde recte σατυρικὴν παιδιάν nominat. Quum vero ex suo more hunc ludum ad Graecum drama satyricum referat deceptus videlicet et nominis et argumenti quadam similitudine, incidit in solemnem Grammaticorum errorem[40]. Saltatores, quos cum Silenis et Satyris comparat[41], non nisi personas agrestes repraesentasse, persuasum habeo[42], nec puto ob similitudinem mere fortuitam, quae inter eos cum Graecorum Satyris et Silenis intercedebat, cum C. O. Müllero coniiciendum esse, istum ludionum ornatum a Graecis Cumaeis petitum esse[43].

Saltatores, quorum modo mentionem fecimus, apud Etruscos histros sive histriones nuncupatos esse, memorat Livius l. c. Nomen hister Graecum videtur ἵστωρ sive ἴστωρ, ita dictum, ut apud Graecos de eodem σοφιστής[44] et ὑποκριτής[45]. Romanis histrio ludio sive ludius erat, quam vocem a Lydis

39) De talibus similibusque saltationibus comica μιμήσει insignibus cf. Grysar l. c. p. 22.

40) De L. Pomp. p. 31.

41) Appian. VIII, 66 eos τιτυριστάς a τίτυρος hircus vocat.

42) Casaub. de Sat. poes. p. 60.

43) Etrusc. IV, 1, 6.

44) Athen. XIV p. 621 f.: „τοῦ δὲ εἴδους τῶν δεικηλιστῶν πολλαὶ κατὰ τόπους εἰσὶ προσηγορίαι — σοφιστὰς δὲ οἱ πολλοί sc. καλοῦσι".

45) Nemo enim non videt, perperam Festum vocem hister ab Histria, unde primum histriones venerint, et Plutarch. Rom. Qu. 107 ab Histro quodam, qui ludionibus pestilentia emortuis ex Etruria Romam migraverit, derivare.

male deducunt[46]), quum potius a verbo ludere derivandum sit, quod originem ducit a Graeco verbo λύειν[47]).

Fescenninorum origo etiam Etrusca est, quod nomen ipsum prodit[48]). Fescennia enim in meridionali Etruriae parte in Faliscorum agro erat sita[49]). Tamen non dubitandum est, quin iocularia ista carmina etiam in aliis Etruriae oppidis in usu fuerint; videntur autem Fescenniae diutius viguisse, quod puto ob exiguitatem oppiduli a peregrinis minus frequentaretur ideoque priscos mores per longa temporis spatia servaret integros. Dionysius certe Faleriis et Fescenniae suo etiam tempore multa vetustissimorum huius regionis incolarum eorumque institutorum vestigia reperta esse, affirmat[50]). Iam Fescenninorum illorum priscorum exempla nulla exstant, quia omnino litteris mandari non solebant, tamen id constat, ea plerumque iocosis, saepe etiam flagitiosis dicteriis referta fuisse. Si Horatio[51]) fides habenda est, originem agricolis post condita frumenta alternis ver-

46) Hesych. II p. 506: „Λυδοὶ οὗτοι τὰς θέας εὑρεῖν λέγονται, ὅθεν καὶ Ῥωμαῖοι λουδούς φασι.“ Isid. Orig.: „ludi a Lydiis vocati sunt“.

47) Cf. Döderlein Synon. II p. 27, qui citat Scheid. ad Sanct. Minerv. p. 908: „a verbo λύω, solvo, videtur ortum esse verbum ludere. Nescio equidem, an τὸ ludere sit solvere, Batave uitspannen. Egregius certe eam in rem locus est Phaedri III, 14, 10:

cito rumpes arcum, semper si tensum habueris,
at si laxaris, quum voles, erit utilis:
sic ludus animo debet aliquando dari.“

Ludere igitur proprie significat animum curis solvere, remittere, relaxare, unde etiam Bacchi cognomen Λυαῖος, quod vinum sollicitis animis onus eximit, ut ait Horat. Unde ludere iocandi notionem assumpsit, quod iocis nugisque, quales sunt ludi, animum remittere solemus. Ne quem tamen formatio verbi ludere a Graeco λύειν offendat, consideret, alia e Graecis verbis puris venientia, littera d ad hiatum tollendum addita, eodem modo formari, ut κλείω, claudo, τρύω, trudo, ΒΑΩ (βαίνω), vado etc. Notum enim est, litterae d hanc vim inesse, ut hiatum removeat, e. g. prodesse, redire; cf. Muret. Var. lectt. XV, 10.

48) Fest. v. Fescennini: „Fescennini versus, qui canebantur in nuptiis ex urbe Fescennia dicuntur allati, sive ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere“. — Nemo non videt, hanc alteram vocis explicationem nihili esse. — Schol. vet. ad Hor. Epist. II, 1, 145: „Fescennina, iocularia carmina et probrosa, dicta ab oppido Fescennino, unde processerunt et Atellanica dicta sunt“. — Legendum puto „ut Atellanica ab Atella dicta sunt“, nisi forte scholiasten Fescenninos ludos cum Atellanis confudisse dicere velis.

49) Plin. Hist. nat. III, 5. cf. Müller Etrusc. Tom. II, p. 284.

50) Dion. Halic. Ant. I, 20: „Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων μικρὰ ἄττα διασώζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον· ἐν ταύταις διέμεινε πολλὰ τῶν ἀρχαίων διαιτημάτων ἐπὶ μήκιστον χρόνον“.

51) Hor. Epist. II, 1, 139 sqq.

sibus opprobria rustica fundentibus debent. Videntur tamen non solum post messem peractam, sed etiam in omni alio festo, praesertim nuptiis in usu fuisse, unde postea sub Fescenninis nonnisi nuptialia carmina intelligebantur. Zellius quidem triplicem Fescenninorum formam exstitisse contendit: opprobria versibus alternis sine cantu saltationeque iactitata, quae deinde Romae cum Etrusca saltatione coniuncta fuerint et postea histrionibus relicta magis exculta apparuerint [52]. Coniicit contra C. O. Müllerus, Fescenninos ludos iam olim in Etruria cum saltatione coniunctos editos esse, neque habeo, quod huic opinioni opponam [53].

Fescenninis simillimae erant Romanorum Satirae, quippe illis quodammodo cognatae. Perantiqua enim et genuina etiam inter Romanos iuvenes iocosa illa altercatio erat, qua diebus festis risum excitare solebant; nam non facile nobis aliquis persuadeat, eos vel ista poeseos rudia initia aliunde petivisse [54]. Qui ludi, quum omni arte carerent, sine multo apparatu sacrificiis peractis coram populo spectanti edi solebant; recte enim a viris doctis observatum est, iocum risumque apud veteres a deorum cultu non ita alienum habitum esse, ut apud nos solet [55]. Postquam vero ob pestilentiam, quae C. Sulpicio Petico et C. Licinio Stolone Coss. Romae fuit, ludiones ex Etruria acciti saltationes quasdam sacras ad tibiae sonum, Romanis tum novum spectaculum, ediderunt, iuvenes iocose eos in ludis suis imitabantur (*κατέσκωπτόν τε καὶ κατεμιμοῦντο τὰς σπουδαίας κινήσεις ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες*, Dion. Hal, l. c.). Etenim

---

52) *Ferienschriften* Tom. II p. 135.

53) Etrusc. Tom. II p. 285: „*Da indessen das Eine (die Fescenninen), wie das Andere (der Tanz) in Etrurien einheimisch und die innere Uebereinstimmung augenfällig war, so darf man sich doch wohl auch denken, dass schon in ihrem Heimathlande die Fescenninen, wie der sicilische Mimus, auf die Bühne gebracht und mit Tanz einiger Massen verbunden worden. Ein Kunstganzes entwickelte sich schwerlich daraus.*“

54) Eiusdem sententiae de genuina Romanorum poesi est etiam Ludov. Dauber in Programmate Holzmind. anni 1827 p. 12 sqq. et 17, ut e nota Dris Dübner, libelli mei de L. Pomponio humanissimi censoris in Annal. philol. et paedagog. ed. Iahn. Tom XIII Vol. IV p. 431 vidi; nam citato programmate uti mihi non concessum erat.

55) Zell *Ferienschriften* Tom. II p. 126: cf. Serv. ad Virg. Georg. II, 385: „necesse erat pro ratione sacrorum aliqua ludicra et turpia fieri, quibus posset populo risus moveri“.

ut apud Graecos tragoedia Bacchi cultui originem debebat; comoedia contra, quam festi hilaritas procreaverat, nihil nisi iocosa tragoediae conversio erat, ita apud Romanos ex Etruscae illius saltationis ridicula imitatione Satira orta est, licet et comoediae et Satirae elementa, irrisio et iocatio, omnem artem antecederent[56]). Eo enim, quod coeperunt versus antea temere et incomposite iactatos cum saltatione cantuque coniungere, ludus paulatim in artem mutatus artificibus iam egebat, qui studiosius rei operam darent. Satirae nomen nactus esse videtur ob verborum, cantus, saltationisque coniunctionem, quae tria, quum antea essent seiuncta, tum in unum consociata tanquam diversae fruges in satura lance populo offerebantur[57]). De argumento priscarum Satirarum difficile est, certi aliquid proferre, id vero extra dubium esse videtur, eas salsis irrisionibus, ridiculis ambiguitatibus, iocosis narrationibus tum veris, tum fictis, obscenis dictis proverbiisque, immixtis crebro canticis ad tibiae sonum cum saltatione coniunctis constitisse, natura sua non dissimiles nugis istis, quibus hodie etiam Itala plebs Venetiis potissimum et Neapoli gaudere solet[58]). Fabulam artificiose

56) Graecae priscae comoediae et Satirae interna similitudo iam a veteribus observata est Horat. Sat. I, 4, 1. Diomed. III, 329: „Satira est carmen apud Romanos - archaeae comoediae charactere compositum".

57) Qui Satiram ob materiae varietatem sic dictam putant, non considerant, si non maiorem, certe tamen eandem varietatem in iuvenum iocularibus ludis obveniase, neque tum, quum Satirae nomen inventum sit, Romae fabulas a Graecis petitas doctas esse, quibus Satirae, quippe materiae varietate insignes, opponi potuissent; Livium enim Andronicum post aliquot demum annos primum ausum esse argumento fabulam serere, auctor est Livius VII, 2. Ceterum notandum est, postea, quum Satira scenica in Lucilianum Satirae genus mutata esset, recte a materiae in ea tractatae varietate satiram tanquam farraginem diversissimarum rerum explicari. Iuven. Sat. I, 85, 86; Diomed. III, 329. cf. insuper de Satirae notione Casaub. de poes. sat. II, 4; Zell. *Ferienschriften* Tom. II p. 133 et A. W. Schlegel *über dramatische Kunst und Liter*. Tom. II p. 8, qui ob similitudinem, quae est inter vocem Saturae et Saturni Saturnaliumque mere, ut mihi quidem videtur, fortuitam, nexum quendam eorum suspicatur; Stieve de rei scenicae apud Romanas origine p. 44: „Saturae non tam incompositae et rudes fuerunt, quam Fescennini neque alternis versibus iactatae sunt, quod non satis animadversum est. — Rambachius in annotationibus ad Casaub. de sat. poes. II p, 181 hos ludos componit cum dramate Satyrico Graecorum, eoque differre ait, quod Graeci Satyros aut deos hisce similes induxerint. Non autem ab hac solum, sed ab omni parte hi ludi Romani a dramate Satyrico discrepabant, nec ullam prorsus similitudinem in utrisque exstitisse arbitror. — Si quis Saturas scenicas Romanorum cum Graeco instituto componere velit, non inique fortasse adhibeantur Dicelistae Spartanorum, de quibus vid. Müllerum Hist. III p. 343".

58) Guilelm. Müller. *Rom, Römer u. Römerinnen* Tom. II p. 110: „*Die Le-*

excogitatam, qualem Graecae comoediae exhibuerunt, certe non habuerunt, etsi fabulae simile quiddam, quo diversissimas res tanquam vinculo continerent, interdum ostendisse eas, verisimile est [59].

De tempore, quo Satirae Romae edi coeperint, iam olim egi in libello de L. Pomponio [60]. Videntur scilicet mihi paucis annis ante Livium Andronicum Romae ortae esse, ut e Livii loco VII, 2 probavi. Facile enim fieri potuit, ut Romani, qui bello Punico primo, quod paulo ante gestum erat, in Siciliae urbibus delectati fuissent similibus spectaculis, Romae pace composita urbeque multis opibus locupletata rudia sua artis scenicae elementa ad illorum modum effingerent: apud Siculos enim iam diu mimicam cavillationem cum cantu et saltatione in scena stetisse, veterum probant testimonia [61]. Hinc forte ornatus etiam personarum, quas, ut supra commemoravimus, Dionysius cum Silenis et Satyris comparat, repetendus est.

Satira, scenicum genus Romanis genuinum, non ita multo post Graecis fabulis per Livium Andronicum primum doctis fere cessit. Artifices, qui olim Satiras, nunc fabulas e Graecis conversas edebant. Constat, Livium tragoedias primum docuisse, itaque sacris, in quibus spectacula edi fas erat, ludiora, quibus pro sacrorum ratione risus populo movebatur, abfuissent, nisi

---

kalpossen in den Volksdialekten, namentlich in Venedig und Neapel, sind der Triumph dieser Komiker. Denn in ihnen wird weder Illusion noch innere Wahrheit gefordert, und Alles kömmt darauf an, das Publikum zum Lachen zu reizen („risus et solutus iocus," Liv.); *wie? Danach frägt Niemand: persönliche Nachahmungen, lokale Zweideutigkeiten in Anekdoten und Sprüchwörtern werden zu Hülfe genommen, und Regel, Convenienz, Wahrscheinlichkeit und Möglichkeit recht vorsätzlich gemisshandelt; denn die allgemeine Kunstloosung ist: je toller, desto besser*".

59) Cum Stievio l. c. stare non possum, qui contendit, Satiras a poetis compositas esse, quia, antequam agerentur, ad tibicinis cantum descriptae essent. Non enim puto ante Ennium Satirarum poetas extitisse, quum, ut e Livio ipso patet, tum histriones ipsi et componerent et agerent carmina: „idem scilicet Livius Andronicus, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor". Neque credendum est, totas Satiras saltatas et decantatas esse, sed singula modo cantica sermonibus immixta. Satirae enim a vernaculis histrionibus editae a iuvenum ludis morem Tuscum imitantium simulque inconditis inter se iocularia fundentium versibus natura sua non differebant, maiori tamen arte et elegantia insignes erant.

60) p. 18, ibique notam vide.

61) Solin. Polyhist. c. 11: „hic (in Sicilia) cavillatio mimica in scena stetit"; cf. Grysar l. c. p. 58 sqq.

iuvenes post fabulas per artifices doctas eo, quod antiquo more versus inter se iactarent, huic mori providissent. Quae ridicula versibus intexta, ut ait Livius VII, 2, inde exodia postea appellata, consertaque potissimum Atellanis sunt.[62]) De exodiis inter viros doctos magna disceptatio est. Iam longius esset omnium de hac re sententias recensere; satis igitur sit, qui novissime de exodiis scripserunt Stievius de rei scen. apud Romanos origine, et Schoberus de Atellanarum exodiis, perlustrare. Iam Stievii opinio haec est[63]): „De exodiis magna lis fuit, eo „praecipue orta, quod qui de iis dissererent, latiorem huius vo„cis significationem non satis distinguerent ab artiore. Exodia, „de quibus Livius loquitur, Atellanas non esse, ita ut pro Atel„lanis exodia poni possint, ex allatis verbis manifestum est: ri„diculos iocos antiquos exodia appellatos et postea in Atellanas „susceptos esse, ita ut Atellanis multa exodia consererentur, „sensus est verborum Livii, nisi forte quis obstinato animo aliam „sententiam extorquere vult. Eodem sensu exodium usurpavit „Sueton. in Tib. c. 44, Domit. c. 10. Adde Iuven. Sat. VI, 71:

Urbicus exodio risum movet Atellanae.

„Cfr. Suet. Calig. c. 27. Ut in his locis singula dicteria sive „sales exodia audiunt, ita postea quodcunque facete et acute „etiam extra theatrum dictum, exodium vocabatur; Hier. ad „Gaudent. Ep. 12: secundum praeclari oratoris exodium, spes „in ea (infantula) magis laudanda sit, quam res. Recte itaque „Sigonius ad Livii locum exodia comparat cum episodiis, de „quibus Suidas: ἐπεισόδιον τὸ εἰσφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος „χάριν, ἔξω τῆς ὑποθέσεως ὄν. Illa episodia neque certa quae-

62) Offendit illud inde in Livii loco Stievium l. c. p. 46: „in loco Livii plura ambigua sunt: τὸ inde a Drakenborchio receptum delendum esse reor, quum in multis codd. melioris notae desit, et ad sensum aut nil addat, aut valde eum turbet. In iactando enim versus ludicros causa nulla est, quare exodia nominentur; et si inde ad sequentia refers, tum aut τῷ postea iam continetur τὸ inde, aut hoc prorsus tollit illud, quod omnium codd. auctoritate defensum expungi nequit.“ Fugit virum, non raro inde s. deinde s. deinceps cum post s. postea pleonastice coniungi, quod facere prae aliis Livius amat cf. Liv. XXXXI, 24, XXXXIV, 24, XXXXV, 14. Terent. Andr. III, 2, 3. Cicer. pro Mil. 24. Nep. Eum. 5. Cels. VII, 8 med. — Schober. de Atellanarum Exodiis p. 20: „illud inde non habet, quo explicetur, nisi ad proxime praecedentia: histrionibus fabellarum actu relicto iactare coepit, referamus, quod ut faciamus, totus verborum nexus suadet.“

63) L. c. p. 47 sqq.

„dam species dramatum erant, neque uni tantummodo dramati „inserebantur, qua libertate etiam exodia utebantur, quod Livius „significat τῷ potissimum, et alii aperte docent. Plerique „recentiorum, qui de exodiis sermonem faciunt, permoti vocis „etymologia et exodis Graecarum fabularum, statuunt, exodia „esse ioca in fine fabularum fundi solita, secuti Ios. Scaligerum „ad Manil. V, 145, qui multa huc spectantia contulit, sed res „tantopere confudit, ut Salmas. ad Vopisc. Aurel. c. 42, Scali„gerum hic non esse Scaligerum, merito dicat. De Graecis „exodis hic minime cogitandum est, tum enim Livii verba „prorsus sensu carent, quod cum Salmasio iam alii viderunt. „Non minus autem falsa videri debet opinio, qua prima illa „exodia post actam fabulam quasi additamentum accessisse vo„lunt, quo argumentum fabulae antecedentis in risum versum „sit, ita ut cum dramate Satyrico Graecorum componi possint. „Hanc sententiam defendit Casaub. de Sat. Rom. II, 1, p. 184 „verbis antiqui Schol. Iuven. ad Sat. III, 175: Exodiarius apud „veteres etc. Recte quidem grammaticus, si vero Iuvenalis „locum his explicari putavit, fefellit eum opinio, et utinam Ca„saub. non confudisset Iuvenalis et Scholiastae exodia. Poeta „exodio significat antiquos iocos et risus, qui postea in Atella„nas inferebantur, non autem Atellanas ipsas et multo minus „Exodia illa, de quibus Scholiastes disserit, quae ab Atellanis „procul absunt. Res meo iudicio sic expedienda est: Quum „iuvenes Romani ad Atellanas omne studium conferrent, missos„que singulos iocos, illa exodia, vel in componendis fabulis asse„rerent, vel in agendis ex tempore funderent, ita tamen, ut „fabularum nexus non turbaretur; spectatores, qui rudes artis„que expertes ea voluptate, quam Graeci ex theatris capiebant, „spectaculis interesse non didicerant, suos apinarios desiderabant. „Voluntati populi gratificati esse videntur Mimi atque Planipe„des, qui vice iuvenum Atellanas iam agentium functi, hunc in„ter actus fabulae et post doctam iocos incompositos ediderunt. — „Quum tanto furore Africani temporibus et iam ante eum, ut „ait Macrob. Sat. II, 10, saltationem Romani arriperent, mi„rum non videbitur, eos prae ceteris delectantes Mimos etiam „extra fabulam spectare voluisse, hosque omnium applausu exci„tatos, proprios suos ludos more iuvenum Romanorum insti-

„tuisse. Hi ludi, quum Mimi ab histrionibus nondum separati „agebant, exodia erant, postea vero et ipsi accreverunt ad drama „continuum, scilicet mimicum. — Illi autem Mimorum et Plani„pedum, qui praestantiam ceterorum non assequebantur, perge„bant exodia sibi vindicare, quae a potioribus iam mittebantur, „ita ut dehinc duo genera Mimorum Romae spectarentur. — „Postquam vero illis iocis ex tempore fusis Mimi et Planipedes „spectatores oblectare coeperant, tum etiam exodiorum nomen „ab Atellanis, qui, si Lydi de Mag. Rom. I, 140 loco corrupto „fidem habere possumus, initio etiam Exodiarii dicebantur, ad „illos migravit, et ut exodium facete et scurrile dictum, ita „Exodiarius sannionem, scurram scenicum, spinarium, taxato„rem generali appellatione significabat. Hi exodiarii ii erant, „quos Iuvenalis Scholiastes memorat. Quod itaque ille dicit, „in fine fabularum spectatos esse Exodiarios, non ita interpre„tari possumus, ut iocationes suas certo argumento, simili ar„gumentis dramatum Satyricorum, ad actam fabulam retulisse „dicantur; poterant quidem fabulam et actores cavillari, sed ad „notionem propriam Exodiariorum haec non pertinebant. Ex„odia denique fabula finita coepisse ex vocabuli etymo demon„strari non posse docuit Salmasius ad Vopisc. l. l. et ex Livii ver„bis manifestum est. Neque vero negaverim Exodiarios post „actam fabulam praecipue locum habuisse et hac ratione fieri „potuisse existimo, ut de nominis derivatione etiam grammatici „Romani in errorem inducerentur."

Schoberi[64]) sententia de exodiis, eo potissimum a Stievii differt, quod e verbo conserere, quod ei est coniungere ita res inter se, ut integrae maneant[65]), concludit, ridicula iuvenum non in Atellanas transiisse, sed iis addita esse tanquam peculiare quoddam spectaculum. „Primum, inquit[66]), ridicula „illa non ex eo, quod Atellanis, sed quod aliis fabulis conserta „sunt, exodiorum nomen traxerunt, ut aperte indicant Livii „verba; qui si dicit: Iuventus — appellata, quid aliud haec

64) De Atellanarum Exodiis; Dissertatio quam — defendet auctor Car. Ernest. Schober; Vratisl. MDCCCXXX.

65) L. c. p. 6 sq.

66) L. c. p. 20 sqq.

„sibi volunt, quam iuventutem secundum actas ab histrionibus „fabulas ad animos exhilarandos ridicula inter se iactare solitos, „eaque inde exodia appellata esse. — Hinc sequitur, nihil nos „cogere, ut exodia, quae iam tum, quum Atellanis conseri coepta „sunt, ita appellabantur, eodem modo Atellanis, quo tragoediis „(nam tragoedias fuisse fabulas, quas iuventus histrionibus agen„das reliquit, in aperto est) conserta fuisse statuamus; post tra„goedias enim exodio opus erat, ut animi tristitia affecti exhila„rarentur, non vero post Atellanas, quippe quae ipsae salibus et „iocis compositae essent. (Verisimile est, eo ipso tempore, quo „Atellana exodii loco post tragoediam agi coepta est, antiquum „exodium Atellanis consertum esse). Quamquam id quidem ne„minem fugere potest, quid causae fuerit, cur omnino ridicula „illa Atellanis consererentur. nam idem fuit utriusque generis „fons, eadem origo et magna similitudo; in patrio enim Italiae „solo nata et a maioribus, non a peregrinis accepta tam pio stu„dio colebantur, ut ingenuis tantum hominibus partes in iis agere „liceret; iocis et dicteriis abundabant, eoque maxime spectato„rum animos nativo quodam lepore deliniebant; id unum inter„fuit, quod Atellana argumento serebatur et certas quasdam per„sonas habebat, iuvenum autem lusus antiquam mihi formam „semper servasse et tum etiam, quum Atellanae iam perscribi „coeptae sunt, ex tempore fusi videntur.“

„Sed fac Livii verba ita esse explicanda: ridicula ista ini„tio tragoediis conserta atque inde exodia dicta, postea, cum „Atellana exodii loco esse coepisset; eodem modo Atellanae con„serta esse; nihilominus tamen non est, quod nonnisi in fine fa„bulae adspecta esse putemus; nam Cicerone teste ad Div. IX, „16 mimus in locum Atellani exodiarius successit; mimus au„tem non solum, ut ex hoc Ciceronis loco sequi videtur, in fine „tragoediae, sed, ut Festus p. 201 narrat, inter singulos fabu„lae actus in scenam prodibat[67]). Quidni igitur eundem in-

67) Confundit hic Schoberus duplicem vocis mimus vim, de qua recte disputavit Stiev. l. c. p. 51: „duo genera Mimorum Romae spectabantur. Testis „est Plutarch. Symp. VII, 8, ubi a quibusdam mimis Romanis ὑποθέσεις, ab aliis „παίγνια agi dicit; illis dramata tribuit, παίγνια autem nominat πολλῆς γέμοντα βωμολοχίας καὶ σπερμολογίας“. Patet, in Ciceronis loco de actore mimicorum dramatum, qualia Laberius et P. Syrus scripserunt, quique secundum Plut. ὑποθέσεις egit, in Festo de altero genere mimorum, qui παίγνια edebant, ser-

„terdum Atellanae in tragoediis et exodii in Atellanis, qui mimi „olim fuit, usum fuisse credamus? Iam Atellanae quidem plu- „res fuisse actus non constat; sed simile quid in Atellana etiam „fieri potuisse, naturam et rationem eius respicientes facile in- „telligimus. In Atellanis enim, quamquam argumento sereban- „tur, tamen quum initio ex tempore agerentur, non ita dispo- „sitas fuisse res atque inter se cohaesisse verisimile est, ut non „interdum aliquid desideraretur. Atque ad eiusmodi quasi la- „cunas explendas, ut haberent spectatores, quo interim animos „oblectarent, ridicula inserta, ubi vero usus hoc non exigebat, „in fine mihi acta videntur. Quod ut ita factum esse putemus, „magis etiam fabularum Atellanis simillimarum dell' arte, quas „Itali dicunt, ratio suadet; nam in his etiam non certis locis, „sed ubicunque laxior rerum nexus desiderare videatur, histrio- „nes ridicula inter se iactare, quos lusus Cozze (Lazze?) appel- „lant Itali, me legere memini. In his quum manifesta antiqui „moris vestigia mihi deprehendisse videar, quae ut alia etiam „exempla docent, in rebus genti cuidam propriis nulla aetas de- „lere valet, quin eandem ridiculorum istorum Atellanis conser- „torum rationem fuisse contendam, non dubito".

Schoberi sententia, de qua primo loco agere placet, hoc vitio laborat, quod priscam Atellanam ex tempore actam, de qua sine dubio Livius loquitur, non discernit a seriore, qualem Pomponius Noviusque scripserunt. Iam olim enim in libello de L. Pomponio p. 25 ostendi, ex Atella nihil nisi Atellanas personas, quales erant Maccus, Pappus, Bucco similesque, petitas esse, quibuscum et fabularum argumentum reliquusque scenicus apparatus sponte se offerret. Iuvenes igitur, qui antea sub suis personis iocabantur, tunc sub personis Macci, Bucconis ceterorumque et sub fictis conditionibus, quales fabulae argumentum, de quo antea inter eos convenerat, exigebat, cavillationes nugasque suas edebant. Id simpliciter Livius r i d i c u l a c o n s e r e r e f a b e l l i s A t e l l a n i s dicit. Cui iam probabile videtur, iuvenes primum ex tempore fabulam Atellanam iocis multifariis

---

monem esse. Donat. de Com. et Trag. haec παίγνια sive iocos, qui inter actus risum ciebant, compitalitia ludicra nominat, quibus admisto pronuntiationis modulo, dum actus commutarentur, populus detentus sit.

nugisque, ut constat, refertam, dedisse, deinde sub suis nominibus iterum iocos nugasque addidisse, vel adeo mediis fabulis, quopiam sub vero nomine posita sine dubio Osca persona, peculiares iocosas controversias interposuisse, quia conserere significet, res ita coniungere, ut integrae maneant? At hoc profecto argutari est. Urgenda fortasse fuisset vox conserere, si Livius de re chemica scripsisset: salem aquae conserere vix concedo dixisset, sed ridicula Atellanis conserere[68]), i. e. ita instituere, ut ridicula illa, ante sine filo quodam perpetuo prolata, nunc fabulae argumento tanquam vinculo et serie quadam non interrupta adnectantur et contineantur, cur dici non possit, non video. Nihili etiam est, quod de explendis lacunis dixit, quum non ita dispositas fuisse res atque inter se cohaesisse verisimile sit, ut non interdum aliquid desideraretur. Simplicissimae erant Atellanae, ut hodie etiam tales ludi, neque quisquam ab omni parte elaboratam fabulam desiderabat. Solet omnino fabulae nexus in his spectaculis interrumpi et sermonibus ab actione alienis, et iocosis gestibus et ludicris aliis, quae Itali Lazzi nominant, sed quis inde unquam integram et peculiarem dramatis speciem, Exodium, fecit? Sed fac etiam, conserere esse ita addere, ut integrum maneat; tum suis verbis Livius dixisset tantummodo, exodia acta esse a iuventute Romana, Atellanas vero etiam, non dixisset. At pergit nihilominus, hoc genus ludorum ab Oscis acceptum i. e. Atellanas, tenuisse iuventutem nec ab histrionibus pollui passam esse. Quae verba postulant, ut aliquid praecesserit, quo Atellanas etiam a iuventute agi coeptas esse, auctor tradiderit. An dicamus, Livium significare voluisse, iuvenes Atellanas etiam egisse, quia his addere solerent exodia sua? quidni tum tragoedias etiam aliasque fabulas, quibus interdum eos exodia addidisse e voce potissimum concludit Schoberus p. 7? Ergo non possumus, quin de exodiis istis exodio-

68) Ridicula conserere, non exodia, ut Schob. vult p. 20: exodia conseri coepta sunt; nam ita iubet verborum ordo: quae sc. ridicula, appellata sunt exodia et conserta, sc. eadem ridicula, Atellanis fabulis. Cf. L. Dauber Progr. Holzmind. 1827 p. 20: „iuventus — inter se more antiquo ridicula versibus concepta iactitare coepit, quae exodia postea appellata sunt et cum Atellanis potissimum fabellis coaluerunt.“

rum, nam Atellanas exodia fuisse tragoediarum, non negat, Schoberum parum recte et considerate statuisse, iudicemus.

Stievii errorem praeoccupata opinio, quam Salmasio potissimum debet, de significatione vocis **exodium** procreavit. Contra vocis etymon, contra manifesta veterum testimonia contendit, exodia nunquam esse ludos in fine additos, sed ubique singula dicteria et sales, quamvis non habeat, nisi unum locum, eumque valde dubiae auctoritatis, in quo dubitari non potest, quin exodium facete vel acute aliquid dictum significet, Hieronymi ad Gaudent. Ep. 12. Sed videamus ipsi, quid de hac voce sentiendum sit. **Exodium** e Graeco sermone petendum (ἐξόδιον) respondet Latino vocabulo **exitus**, *Ausgang*, *Ende*, *Schluss*, oppositumque est **origini**[69]). Hanc propriam verbi vim probant tres loci Varronis, quos citat Nonius: *Ἑκατόμβη, περὶ θυσιῶν*: „Socrates, quum in vinculis publicis esset et iam bibisset κώνειον in exodio vitae"; *τάφη Μενίππου*: „quod coeperas modo in via narrare, ad exodium ducas"; *ἕως ποτέ, περὶ ὡρῶν*: „vitae cursum ut cognoscere possem et quae servitutis et quae libertatis ab origine ad exodium ducta". Plurimus tamen huius vocis usus in re scenica fuit, ubi ex Graeca consuetudine aut extremam partem fabulae sive ea sit catastrophe, sive extremum canticum choricum (ἔξοδος), aut spectaculum quoddam peculiare, quo ludi scenici terminantur, *Schlussstück*, *Nachspiel*, denotare posset. Prioris quidem significationis exempla vix reperias, quum Romani ad ultimam fabulae partem exprimendam voce Latina **exitus** sive **clausula** tanquam termino technico usi sint[70]), ut patet e Cicer. de nat. d. I, 20: „ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum" id. pro Coel. 27: „mimi est iam exitus, non fabulae, in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus". Restat igitur altera significatio, spectaculi cuiusdam in fine acti, quam prae ceteris locis versus ille Lucilii tuetur, quem Schol.

69) Fest. „Exodium, exitus."

70) Ernest. Clav. Cicer. sub h. v.: „exitus in fabula est ultima pars, in qua „omnes nodi, quos vocant artis magistri, solvuntur et res ad finem aliquem in„speratum et inexspectatum perducitur, quem Catastrophen vocant; vid. Scal. de R. Poet. I, 9".

Iuven. ad Sat. III, 175 citat ad probandum, talem ludum post tragoediam edi solitum esse:

dignus principio exitus, exodiumque sequetur[71]).

Salmasius quidem versum, ne suae sententiae adversetur, mutat:

principio dignum, exodiumque sequetur;

exitus dignus pro glossemate vocis exodium habens, sed frustra; exitus dignus se recte habet; significat enim catastrophen tragoediae. Non magis etiam in illis, quos Stievius citat, locis Livii, Suetonii, Iuvenalis exodium aliam vim habet, quam eam, de qua modo diximus, ut sumus infra expositurì. Exodiarii nomen, ab exodio derivatum, frustra quaeres apud scriptores priorum seculorum; quantum ego scio verbum primum legitur apud Ammianum Marcellinum. Ortum videtur eo tempore, quo omnis ars scenica solo mimo et pantomimo constabat, neque Atellani, neque Mimi, neque Planipedes et qui sunt huius generis alii inter se distinguebantur. Tum exodiarius is erat, qui nugas istas agebat, quibus exodia composita erant; unde recte nugatorem, scurram scenicum, apinarium, taxatorem eum vocat Stievius, sed non, quod exodia sales et iocos ipsos exprimebant, sed quod iocis et salibus referta esse solebant. Et quum iam Exodiarius talem hominem etiam extra theatrum ut videtur significaret, ut Galli quoque Farceur non solum scurram scènicum, sed quemcunque nugatorem appellant, tunc in usum venit, non solum exodiarii aliquod dicterium, sed omnem facetam vel acutam sententiam etiam extra theatrum prolatam exodium dicere, ut apud Hieron. l. c. veluti Gallis quoque Farces non tantum exodia, sed etiam omnis generis nugae sunt. Quae tamen vocis notio num puro Latino sermoni vindicari possit, videant ex iis, quae modo disputavi, viri docti. Itaque non abiudico quidem mimis illis et Planipedibus, de quibus ceterum Stievius multa probanda protulit, Exodiariorum nomen, puto tamen Iuvenalis Scholiasten sub suo Exodiario nonnisi Atellanum significare voluisse, qui in fine ludorum tantummodo intraret, non mimum et Planipedem, qui inter singulos actus prodirent. Nam certo non casu factum est, ut Lydus etiam

71) Vulg. „principio exitus dignus, exodiumque sequetur"; verborum ordinem ad versum integrum restaurandum iam mutavit Laurenb. Antiqu. p. 162.

Atellanam ita explicet, ut dicat, eam esse τῶν λεγομένων ἐξοδιαρίων i. e. eorum scurrarum, qui suo tempore exodiarii vocati sint.

Iam exodia ipsa non singulos iocos et sales esse, spero etiam me lectori persuasurum esse. Primum enim Cicero apud Macrob. Sat. II, 1 testis est, talia, quae Stievius exodia vocat, apud veteres dicta sive dicteria appellata esse, quo verbo, ut diserte docet Macrob. eodem loco, Atellanarum poetae Novius et Pomponius non raro utebantur[72]. Alludit etiam ad hos iuvenum iocos, quos exodia dici censet Stievius, Quinct. VI, 3: „nihil autem vetabat et componi materias in hoc idoneas, ut controversiae permistis salibus fingerentur, vel res proponi singulas ad iuvenum talem exercitationem. Quin illae „ipsae, quae dicta sunt ac vocantur, quas certis diebus „festae licentiae dicere solebamus, si paulum adhibita ratione „fingerentur, aut aliquid in his serium quoque esset admistum, „plurimum poterunt utilitatis afferre, quae nunc iuvenum vel sibi „ludentium exercitatio est". Idem eodem loco nomina et genera ridiculorum recenset, quibus vulgo utantur, in quibus exodia frustra quaeres. Iam ut ad Livii locum redeamus, ex his, quae diximus, apparet, hic etiam exodia propriam vim, qua ludos extremos exprimant, habere. Quum sola in scena stetissent iuvenum iocularia, exodia neque dicebantur, neque recte dici poterant, quum vero Graecae fabulae in scenam productae fuissent et iuvenes histrionibus fabularum actu relicto antiquo more ridicula intexta versibus iactitare coepissent, exodia appellata sunt, sine dubio, quia post fabulas actas ederentur. Itaque si Livii sententiam planius, quam ipse fecit, exprimere velimus, haec fere erit: quae ridicula postea ludis scenicis finem facere solebant, inde exodia appellata et fabellis potissimum Atellanis conserta sunt. Sed brevior esse potuit auctor, quum verbo ex-

72) „Iocos veteres nostri dicteria dicebant. Testis Cicero, qui in libro Epistolarum ad Corn. Nepotem secundo sic ait: Itaque nostri, quum omnia, quae dixissemus, dicta essent, quae facete et breviter et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicteria voluerunt. Haec Cicero. Novius vero Pomponiusque iocos non raro dicteria nominant". Cicer. de Orat. II, 54: „bona dicta, quae salsa sunt, ea dicta appellantur proprio iam nomine". — Cf. Varro ὄνος λύρας apud Non.: „Et orthophallica attulit psalteria, quibus sonant in Graecia dicteria, Qui fabularum collocant exordia, ut comici, cinaedici, scenatici".

odia hic sensus iam contineatur. Hinc intelligitur etiam, quid illud postea velit, i. e. postquam Graecae fabulae ab histrionibus agi coeptae essent, quod omnino sensu caret, si exodia cum Stievio iocos singulos explicamus; nam quid tum impedivisset, quominus iocularia ante Livium Andronicum exodia etiam appellarentur?

Conserta potissimum Atellanis, dicit Livius, non exodia, ut vult Stievius, sed ridicula, ut verborum nexus postulat; itaque non cum Stievio multa exodia, sed cum Livio multa ridicula Atellanis conserta esse dicemus. De sensu horum verborum iam supra egi, restat, ut illud potissimum explicem. Ridicula illa vel antiquo Romano more sine fabulae argumento iactabantur, vel sub Oscis personis fabulae argumento intexebantur. Illud potissimum probat, Oscum ludum Romano frequentiorem fuisse. Iam quum ridicula illa exodia appellarentur, Atellanae vice illorum fungentes exodiorum nomine etiam vocandae erant; unde tamen non sequitur, exodia et Atellanas ubique eadem esse. Exodium enim spectaculum quodcunque in fine ludorum editum significat, *Nachspiel:* Livii Andronici temporibus ridicula iuvenum more antiquo iactitata, post Atellanae, deinde Caesaris tempore Mimi et alio tempore aliae fortasse dramatum species exodii loco post tragoedias edebantur. Quod praeter illum Lucilii versum, quem supra laudavimus, Ciceronis locus ad Fam. IX, 16 probat, qui dicit, suo tempore mimum, olim Atellanum tragoediam secutum esse; et quod Grammatici Atellanam cum Satyrico dramate Graecorum tum ob alias quum ob hanc causam comparare solent, quod utrumque genus post tragoedias ad spectatorum animos relaxandos editum sit[73]). Quae quum ita sint, non possumus, quin Atellanicum exodium apud Suet. Tib. 45: „unde nota in Atellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta percrebuit“: et exodium Atellanae apud Iuven. Sat. VI, 71:

„Urbicus exodio risum movet Atellanae
gestibus Autonoes:“

73) Mar. Vict. de iamb. metr. II p. 2527: „superest Satyricum; — haec apud Graecos metri species frequens est, sub hac conditionis lege, — ut Satyros inducat ludendi iocandique causa, quo spectatoris animus inter tristes res tragicas Satyrorum iocis et lusibus relaxetur, — quod genus nostri in Atellanis habent.“

veras Atellanas fuisse dicamus. In Suetonii loco voce nota id exprimitur, quod Stievius voce exodium significari vult, i. e. facete et acerbe quoddam dictum, quo Imperatoris nequitia notabatur. In Iuvenalis loco poeta non dicterio quodam Urbicum risum movisse dicit, sed quod in Atellana partes agens ridiculis gestibus depinxerit Autonoen. In Sueton. Domit. 10: „occidit et Helvidium filium[74]), quasi scenico exodio sub persona Paridis et Oenones divortium suum cum uxore taxasset;" sententiae totius ratio vetat nos de singulari quodam ioco sive dicterio cogitare: non enim dicto Helvidius, sed toto argumento fabulae, in qua Paris et Oenone primarias partes habuisse videntur, Domitiani cum Domitia uxore divortium taxaverat. Notum est, Paridem ob Helenae amorem Oenonen nympham deseruisse, cf. Ovid. Heroid. V. Atellanam illud scenicum exodium fuisse, vix credo; quale vero fuerit drama, non habeo dicere. Neque magis Iuven. Sat. III, 175:

„ipsa dierum
festorum herboso colitur si quando theatro
maiestas, tandemque redit ad pulpita notum
exodium, quum personae pallentis hiatum
in gremio matris formidat rusticus infans;"

exodio significat antiquos iocos et risus, qui postea in Atellanas inferebantur, non autem Atellanas ipsas, sed potius fabellam quandam, quae Romae exodii loco edi soleret, in oppiduli vero theatro herboso sola ad pulpita veniret. Poeta enim verbis tandemque redit ad pulpita notum Exodium raritatem et vilitatem scenicorum ludorum oppiduli tangit: tandemque redit, post longum demum tempus, exodium notum: nam in parvulis oppidis vires non suffficiunt pretioso apparatui tragoediarum similiumque scenicorum spectaculorum, itaque exodium producitur idque iam saepius actum, ideo notum, quod sine multis sumtibus et a tironibus etiam artis scenicae agi potest; ut fere apud nos solent theatralium rerum studiosi in oppidulis fabellas breviores solas agere, quae in urbibus solummodo ab histrionibus maioribus spectaculis adduntur ad ludorum tempus

74) Non Iunii Rustici, ut censet Stievius, sed Helvidii Prisci; cf. Lips. ad Tacit. Agric. 45 et Plin. Epist. IX, 13.

explendum. Num exodium illud Atellana, an Mimus, an iuvenum iocosa altercatio fuerit, pro certo dicere non possum. Fugit denique Stievium, Novium, Atellanarum scriptorem, Exodium composuisse, quod quinquies citat Nonius. Stievii vocis exodium explicationem, qua denotat facete aliquod dictum, fabulae titulo parum aptam esse, perspicuum est, neque puto fabulam Atellanam fuisse, sed opinor, Novium hoc suo Exodio controversias et altercationes illas iuvenum ludentium imitari conatum esse, ut simili fere modo Pomponius in Satira, quam scripserat, veterem illam Satirarum speciem imitatus esse videtur. Constabat igitur hoc Novianum Exodium iocosis et obscenis sermonibus, quibus sine fabulae cuiusdam argumento interlocutores spectatores delectarunt.

Quum Atellanarum proprietas in Oscis personis potissimum quaerenda sit, nostrum est, paulo prolixius de his agere. Commemorantur inprimis hae: Maccus, Bucco, Pappus et Dossennus[75]). Oscis iis nomen erat, quia e Campania, Oscorum sive Opicorum sede, petendae sunt, simili modo, quo in nova Italorum comoedia Pantalone Venetus, Arlechino et Brighella Bergamenses, Dottore Bononiensis finguntur, quippe quum hae urbes talium personarum fere patriae habeantur. Erant Osci apud veteres male noti ob impudicitiam[76]), itaque Romanis contemptui erant[77]), et Opicam gentem postea inter Romanos receptam barbara sua lingua dissonisque moribus multa de prisca illa et praeclara reipublicae disciplina in peius innovasse, verisimile putat Dionys. Halic. Antiqu. I c. 89[78]). Praeter obscenitatem Osci scurrilitate etiam insignes ideoque Romanis irrisui erant; unde Horat. Sat. I, 5, 52 Messium scurram Oscum facit, non ut interpretes volunt[79]), quia veteres Itali et Osci et

75) De Sagari persona, quam Scalig. ad Varr. de L. L. VI p. 99 ed. Bip. Adnot. p. 237 sqq. Oscam habet, nihil apud veteres inveni; cf. Stiev. l. c. p. 66.

76) Fest. v. Osce: „a quo sc. verbo Oscum s. Opicum, etiam verba impudentia et elata appellantur obscena, quia frequentissimus fuit usus Oscis libidinum spurcarum".

77) Plin. Hist. nat. XXIX, 27.

78) Manso *Abhandlungen* p. 223.

79) Wieland. ad Horat. Sat. l. c.: *Der Scherz ihn zum Beweis seines Alterthums zum Oscier zu machen, giebt zu verstehen, dass er das gewesen, was die Römer einen Erdensohn* (Terrae filium) *nennen.*

Opici dicti sint, filii scilicet Terrae, sed quia Osci tanquam nati scurrae erant[80]. Inter omnes vero Campaniae urbes Atella[81]) inprimis Romanis videtur irrisui et contemptui fuisse, fere ut Graecis Abdera, nobis Schilda, Schöppenstädt sive Polkwitz. Id colligo e loco Suetonii Tiber. 75. Nam quum Tiberii corpus a Miseno moveri coepisset, plerosque narrat conclamasse: Atellam potius deferendum et in Amphitheatro semiustulandum. Ad quem locum recte Gruterus et Casaubonus animadvertunt, triplicem hic ignominiam esse, primam, quod Atellae, alteram, quod in Amphitheatro, ubi sontes solebant, tertiam, quod non cremari, sed semiustulari volebant.

Iam Maccum diserte Oscam personam dicit Diomedes II p. 487[82]), cuius character insignis erat fatuitate et stultitia, quam nomen iam indicat; nam apud Graecos etiam μακκοᾶσθαι stultum, fatuum esse designat, et *Μακκώ* nomen proprium stolidae mulieris erat[83]). Excelluisse praeterea videtur mira voracitate, quod colligo e fragmentis Pomponii Macco milite apud Charis. I p. 99:

cum contubernale ego pugnavi, quod meam
coenam — —

et apud eund. I p. 101:

nam cibaria si vicem
duorum solum me comesse condecet.

Ridetur porro eius rusticitas et invenustus corporis habitus, incessus negligens, improvidus, vacillans, quo saepe non sine

80) Forte Campas dicis, i. e. nugaris, apud Plaut. Truc. V, 50 non ita explicandum est, ut solent: dicis campas, erucas, i. e. res vilissimas, sed nugas dicis ut Campas sive Campanus.

81) „Atella oppidum Oscorum erat in Campania inter Capuam et Neapolin, cuius Livius saepius mentionem facit. Lil. Gyraldus II, 329 C. vulgo existimari ait, urbem ibi sitam esse, quo nunc Aversa". Stiev. p. 53.

82) „In Atellana Oscae personae, ut Maccus".

83) Aristoph. Equit. 62:

ὁ δ' αὐτὸν ὡς ὁρᾷ μεμακκοηκότα;

Iul. Pollux Onom. II, 2 γέρων μακκοῶν. Appuleii Apolog. 2 p. 525 ed. Elmenh.: „omnes isti, quos nominavi et si qui praeterea fuerunt dolo memorandi, si cum hac una Rufi fallacia contendantur, Macci prorsus et Buccones videbuntur". Hodie etiam Itali fatuum et stultum hominem Matto sive Mattaccio dicunt; nos *Matz*.

damno lapsum facit cum magno spectatorum risu; cf. Novii Maccus exul apud Non. p. 336, 12:

limen superum, quod mihi misero saepe confregit caput,
limen inferum autem, ubi ego omnes digitos defregi meos.

Veneris cuiuscunque nimius sectator est nec raro misere in captando amore decipitur. Sic Maccum in ridiculo discrimine versantem finxisse videtur Pomponius in fabula, quae inscribitur Macci gemini; ibi Maccus, puto, ad puellam invitatus [84]), quum iam in eo sit, ut cum ea voluptatem capiat, se falsum esse stupefactus animadvertit viro pro puella supposito; Pomp. Macc. gem. apud Non. p. 75, 25:

perii! non puella est! num quid abscondisti inter nates?

et apud eund. p. 470, 30:

incepi contui, conspicio calcatam cuspidem;

quae ultima sine dubio verba sunt amatoris infortunium suum alteri narrantis. — Maccus ab omnibus decipitur, omnibus est derisui. Quod alii perpetraverunt, Maccus plectitur: alii moechantur, Maccus adulterii poenas luit, alii rapiunt, furantur, Maccus vincitur, verberatur [85]). Diversissimas partes agens spectatoribus producitur; Maccum spectamus militem, non hostes superantem, sed cum contubernalibus de coena pugnantem, cauponem sine dubio misere deceptum, exulem, apud exteros variis casibus iactatum iocosisque discriminibus vexatum. Macci gemini sine dubio multorum ridiculorum errorum ansam praebuerunt nec minus Maccus Virgo [86]).

---

84) Huc spectant fragmenta e Pomp. Macc. gem. apud Non. 508, 23:

sero est, venibo sexta, si tibi placet;

verba amatoris ad puellam; et apud eund. p. 469, 29:

iam ego hic adero, dum ego revortor, age, anus, accinge ad molas;

verba amatoris ad puellam euntis, qui anum rogat, ut dum absens sit, molas pro se circumagat.

85) Omnino, ut hodie etiam, tales personae cum multo spectatorum risu alapis, verberibus, ceterisque contumeliis fere obruebantur; cf. Arnob. adv. gent. VII p. 227: „delectantur-salapitarum sonitu atque plausu", ad quem locum Laurenb. Antiqu. p. 397: „loquitur de mimis et histrionibus, qui excitandi risus gratia os sibi percuti et batui patiebantur; de quo Tertull. de spectac.: „„insuper contumeliis alaparum os obiicit"" et Cyprian. de spect. „„ictibus infelix facies locatur"". item Martial. Epigr. II, 72, 4; V, 62, 11."

86) Similes partes Arlechino et Pulcinello apud recentiores Italos habent;

Figurae exstant duae apud Ficoronium: Dissertat. de larvis scenicis et figuris comicis, Tab. IX, 2, 3; quae nisi magnopere fallor, Maccum nobis repraesentant. Altera, ut Ficoronii verbis ipsis utar, e prototypo delineata est, qui in Museo RR. PP. Societ. Iesu, olim Marchionis Capponi, asservatur. Brachiis caret et humili penula infra genua tegitur[87], quadam sandaliorum specie calceatus, quae parvis taeniis supra pedes obligata calceamenti quoddam genus prae se ferunt a socco et cothurnis diversum. Itaque neque cothurnatus, neque soccatus dici potest et ne planipes quidem. Praeterea haec persona tam a tergo, quam dextrorsum gibbosa apparet, capite abraso[88]), naso pando, recurvo et crasso, auribus arrectis, asininis non dissimilibus et sannis argenteis de ore protendentibus, ita ut ipsius vultus a reliquo corpore abnormis, verum monstrum veramque stultitiae et hebetudinis speciem ostendat, instar fatui illius, qui Pulcinella dicitur et hodie in scenam induci solet, ut risum moveat. — Altera e gemma delineata amplo pallio cooperta est, nudatis pedibus et capite abraso. Os eius et mentum a naso satis recurvo contegitur. Ex tarda et ignavi corporis hebetudine, stat enim flexis brachiis atque intra vestem, quae supra gremium colligitur, involutis, similis dici potest personae, quae Pulcinella nuncupatur.

De Bucconis Osca origine non ut de Macci manifestum testimonium habemus, sed quum in Atellanis potissimum fabulis partes habuerit, ut Pomponii Noviique fragmenta demonstrant,

---

commemoro solummodo titulos nonnullarum fabularum e Lessingii *Theatralische Biblioth.* IV p. 129 sqq.: Arlequin Astrologue, Arlequin et Scaramouz voleurs, Arlequin Grand-Mogul.

87) Donat. Fragm. de comoed. et tragoed.: „Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquae gratia, vel quo expeditiores agant."

88) Abrasis capitibus fuisse tales stupidas personas discimus etiam ex Arnob. adv. gent. VII p. 227: „delectantur, ut res est, stupidorum capitibus rasis;" cf. etiam Non. calvitur p. 16, 14: „calvitur dictum est frustratur, tractum a calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui." Mercer. ad h. l.: „recte libri a calvis mimicis, calvi in mimis ubique introducti et semper derisui, ut in palliatis lenones et parasiti." De Atellanis diserte probant hoc fragmenta Pomp. Praec. post. ap. Non. senium p. 2, 24:

calve, apportas nuntium nobis disparem etc.

ibid. ap. Non. mactare p. 442, 10:

at te di omnes cum consilio, calve, mactassint tuo.

id. Piscat. ap. Non. piscat. p. 488, 16:

quid habes in scirpiculis, calve?

de ea fere non dubitem. Recte etiam Stievius l. c. p. 65 Appuleii locum supra citatum in usum vocat, quo hanc opinionem defendi posse ait. Bucco a buccis inflatis sic dictus, Graecis *Γνάθων* sive *Φυσιγνάθων* et ob vanam garrulitatem et ob perditam voracitatem nomen et formam traxit.[89]) Respondet igitur Parasito novae comoediae et Colaci fabulae palliatae[90]). Excellit Bucco fame indelebili[91]), audacia magna, qua omnia mala subit, ut coenam captet, astutia, qua praeda potitur, garrulitate, scurrilibus iocis et blanditiis, quibus hospitis convivarumque favorem sibi parat. In Macco fatuitas naturalis, in Buccone saepe est simulata, qua convivas delectet. Restant duarum fabularum Pomponianarum tituli, in quibus Bucco primarias partes habuisse videtur: Bucco auctoratus, ad bestias destinatus, cuius amore eo momento, quo taurum occidit, mulier quaedam corripitur[92]), et Bucco adoptatus. Bucculum scripsit Novius. Ex quorum fragmentis, quum sint exigua, nihil de fabularum argumento potest coniici. Bucconem sine dubio buccis monstrose inflatis, ore late hiante et praeter modum patenti fingebant, quales apud Ficoronium multae larvae inveniuntur, quas Bucconis esse verisimile est[93]).

Tertia persona Pappus senex erat, quem, ut Varro de L. L. p. 315 ed. Speng. tradit, Atellanarii nonnunquam Cascum, quod Osci eum Casnar appellent, nuncupabant[94]), unde recte colligitur, Pappum Oscam personam esse. Pappus nomen traxit ab aetate, ut nos etiam patrem pro sene dicimus, Graeci *πάππος*. De Pappo sene nonnulla protulit Reuvens Collect. litter. Cap. 9, Sect. III §. 3 p. 149[95]), sed nihil, quod ad mores characte-

89) Vet. Schol. ad Iuv. Sat. XI, 34: „Buccae, iactarticuli, qui tantum buccas inflant et nihil dicunt". Isid. Origg. X: „fatui, qui multa solent magnaque fari, cf. Plaut. Bacch. V, 1, 2, Merc. III, 4, 54. Barth. Advers. VI, 14. Heind. ad Hor. Sat. I, 1, 10.

90) *Βουκκόνες*, *παράσιτοι* vet. Gloss. cf. Grysar l. c. p. 252 sqq.

91) Huc spectat fortasse locus Afranii Bucc. adopt. apud Non. ientare p. 176, 10: „Ientare nulla invitat."

92) Apud Non. p. 516, 14:
„occidit taurum torviter, me amore sauciavit."

93) E. g. Tab. XXIV, 8. LIII, 4. LVI, 1.

94) „Cascum significat vetus. — Item significant in Atellanis aliquot Pappum senem, quod Osci Casnar appellant". — Fest. „Casnar, senex".

95) „Pappus, persona tralatitia in Atellanis, quae fabulae erant Oscae origi-

remque eius pertinet. Pappum fingimus nobis senem avarum, libidinosum, honorum cupidum, superstitiosum, fatuum, quamvis ex sua opinione prudentem, itaque a callidioribus hominibus vario modo deceptum. Ob avaritiam familiae et ceteris hominibus odio est et contemtui[96]). Risum spectatorum movet ridiculus angor avari senis opibus privati; quo fortasse spectant fragmenta e Pomponii fabula Pictore. Videtur enim ibi poeta finxisse Pappum, senem divitem, in urbem iter facientem, ut ibi pecuniam promeret. Nescio quis huius rei gnarus alterum commovere studet, ut secum consilium ineat senem ex itinere redeuntem diripiendi. Metuentem hunc, ne periculum habeat, senem certo servorum turba bene munitum invadere, is, qui suasit, bono animo esse iubet, se enim compertum habere, senem cum uno tantum servo, eoque ignavo eunucho cuiusque testimonio fides non habeatur proficisci[97]). Consilium captum exsequuntur; senex perterritus, negat, se pecuniam habere, se enim, quae secum tulisset decem millia victoriatum, curasse, ut tuto occuparet[98]). Nihilominus tamen pecunia inventa Pappum privant, qui deinde lite illata a iudice ut puto interrogatus, quanta fuerit summa, qua destitutus sit, ingentem quandam profitetur, provocatus tamen, ut certos nummos dicat, quinquaginta millia fuisse mentitur[99]). Non dubitandum est, quin avarus senex pecuniam non solum non receperit, sed insuper magna mulcta damnatus sit. In alia Pomponii fabula, quae Philosophia inscribitur, videtur idem Pappus inductus esse de auro sibi sublato Dossennum hariolum interrogans, qui avari consuetudi-

---

nis, in nonnullis earum, et fortasse in antiquioribus, quae Oscam linguam maxime servarent, aliquando Casnar compellata fuit.“ Cf. Stiev. l. c. p. 65.

96) Pomp. Pict. apud Non. senica p. 17, 19:
Pappus hic medio habitat senica, non sescunciae.
et ib. apud Non. Manducones p. 17, 14:
magnus camelus, manducus, cantherius
convicia videntur in senem.

97) Pomp. Pict. apud Non. intestatus p. 323, 27:
ipsus cum uno servo senex intestato proficiscitur.

98) Pomp. Pict. apud Non. occupare p. 356, 8:
quae tuleram mecum millia decem
victoriatum, Graeca mercede illico
curavi ut occuparem.

99) Pomp. Pict. apud Non. dicere p. 280, 18:
nummos certos dicas! — dico quinquaginta millia.

nis bene sciens antequam furem prodat, mercedem postulat; se enim gratis hariolari non didicisse[100]). Etiam Simus ille apud Suet. Calig. 13, senex ut videtur avarus, cum magno familiae dolore a villa domum rediens, nemo alius fuit, quam Pappus noster, Simi cognomen ludibrii causa nactus; cf. Stiev. l. c. p. 66. Largam ridendi materiam praebuit Pappi ira ab adolescentula uxore miseri decepti. Huc sine dubio pertinent fragmenta Pomponii fabulae, quae Pappus agricola inscribitur. Nescio quis Pappo uxoris perfidiam prodidit[101]), suasitque, ut simularet, se iter in urbem facientem moecho et uxori voluptati esse[102]). Itinere facto adulter domum intrat. En subito nec opinatus Pappus adest[103]), turbas movet maximas, nihilominus tamen a callida uxore, ut puto, verba ei dantur, a moecho vexatur et a spectatoribus ridetur. Nec minus ridiculi habet Pappi ambitio, quam tetigisse videntur Pomponii Noviique fabulae **Pappus praeteritus** inscriptae Pomponiique **Cretula sive Petitor.** Licet enim omni studio munus publicum petat nec quidquam negligat, quod ad hanc rem faciat; tamen tam perverso modo agit, ut quum talium vota coenis et pecunia captet, qui suffragium promittentes, quod alii iam daturi sunt, stolidum senem decipiunt, misere repulsam ferat[104]). Multum ioci ipse ambitus senis habet, qui annis iam fractus per totam urbem vagatur. Ne lassum quidem longoque itinere defatigatum amici quiescere sinunt, porro queribundum propellunt, populi volun-

100) Pomp. Philos. apud Non. memore p. 514, 23:
ergo, mi Dossenne, quum istaec memore meministi, indica,
qui illud aurum abstulerit. — Non didici hariolari gratus.

101) Pomp. Papp. agr. apud Non. manducatur p. 477, 5:
nescio quis illam urget quasi asinus uxorem tuam:
ita oculis opertis simitu manducatur ac molit.

102) Pomp. Papp. agr. apud Non. ibus p. 486, 18.
nunc quando voluisti facere, fac voluptati sies
ibus.

103) Pomp. Papp. agr. apud Non. fervit p. 498, 5:
domus haec fervit flagiti;
verba intrantis domum senis;
ibid. apud Non. desubito p. 517, 78:
volo scire exta, cur res urbanas tam desubito deseris;
verba uxoris ex marito quaerentis, cur tam cito ex urbe redierit.

104) Novius Papp. praeterit. apud Non. capulum p. 4, 29:
dum istos invitabis suffragatores, pater,
prius in capulo, quam in curuli sella suspendes nates.

tatem esse contendentes[105]). — In Pomponii Hirnea Pappi vinolentia senis videtur ridendi materiam dedisse. — Pappum finxisse mihi videntur decrepitum, barbatum, capite calvo, baculo nitentem, quales apud Ficoronium multas figuras invenimus[106]).

Quarta persona Dossennus sive Dorsennus erat. Nomen sine dubio inde invenit, quod dorso nimis elato et gibbosus fingebatur. Philosophi sive sophi partes egit, eius scilicet hominis, qui certas quasdam artes magicas callebat, quibus plebeculae imponebat. Talis hariolus sive vicanus haruspex se ea, quae clam omnibus facta essent, scire profitebatur. Fraudulentus credulis rusticis et qui erant eiusdem generis verba dabat neque id gratis faciebat, sed mercede conducta, qua vel pecunia vel cibariis se locupletavit[107]), Novius duos Dossennos simul in scenam induxit[108]), quorum alter alteri aemulus fuisse videtur. Iam hic haud scio, an Dossenni monumento inscriptus titulus a Seneca Epist. 89 commemoratus[109]) ex Atellana quadam desumtus sit. Omnes quidem interpretes versum referunt ad poetam Fabium Dossennum; verum etiam potest poeta quidam in fabula Atellana Dossennum nostrum mortuum finxisse, in cuius tumulo iocose exposuerint eius virtutes, inter quas sophia sive philosophia eo quidem sensu, quo inscripta est de eodem Dossenno Pomponii fabula Philosophia, maxime excelluerit; idque Seneca in mente habuisse mihi videtur. Magis

105) Pomp. Papp. praeter. apud Non. vagas p. 468, 7:
populi voluntas haec est, et vulgo vagas.
Pomp. Cretula vel Petit. apud Non. forum p. 206, 17:
balnea,
forus, macellus, fana, portus, porticus.
id. apud Non. ominas p. 474, 9:
eveniat bene. — ita sic et tibi bene sit, qui recte ominas,
ubi recte Guilelm. monet: „verba esse bene precantis candidato et illius respondentis".

106) E. g. Tab. XIII, 2, XXVII, 2, XXVIII, 1, 2, XXXVI.

107) Fragm. e Pomp. Philos. supra citatum; Pomp. Campani apud Non. publicitus p. 513, 9:
dato Dorsenno et fullonibus
publicitus cibaria.

108) Fest. v. temetum.

109) „Sapientia est, quam Graeci σοφίαν vocant. Hoc verbo quoque Romani utebantur, sicut philosophia nunc quoque utuntur. Quod et togatae tibi antiquae probabunt, et inscriptus Dossenni monumento titulus:
hospes resiste et sophiam Dossenni lege."

enim notum tale quid esse debebat, quam Dossenni, satis obscuri poetae sepulcrale epigramma; nec videtur in poeta comico, qualis ille Fabius Dossennus erat, sophia ea virtus esse, quae prae ceteris laudanda sit. — Denique notandum est, in fabula quadam Pomponii Dossennum, si quidem lectio certa est, praeceptoris munere functum esse talis, qualem plagosum Orbilium fuisse queritur Horat. Epist. II, 1, 71 [110]). — Dossenni personam etiam e Campania petitam esse, nullum indicium exstat. Si e munere, quo fungebatur, philosophi sive harioli coniicere licet, potius Marsum, quam Campanum eum dicerem. Notum enim est, Marsos prae ceteris talium artium, quales se scire Dossennus profitebatur, peritos fuisse. Quis non agnoscat Dossennum nostrum in loco illo Ciceronis de Divinat. I, 58, Enniique versibus, quos ibi citat: „non habeo denique nauci Marsum augurem, non vicanos haruspices, non de circo astrologos, non Isiacos coniectores, non interpretes somniorum, non enim sunt ii aut scientia aut arte divini:

sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,
aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat;
qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,
quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt [111]);
de his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera.

Miro sane modo hae quatuor personae, de quibus modo egimus, Maccus, Bucco, Pappus et Dossennus, quatuor personis eius dramatis, quod sub nomine comoediae artificiosae (commedia dell' arte) apud Italos hodie quoque floret, respondent. Quas quatuor personas tanquam ludi elementa Italos a veteribus quodammodo hereditate accepisse, iam viri docti viderunt [112]). Operae pretium erit, harum personarum adumbrationem, qualem Guil. Müllerus in libro supra iam laudato, exhibet [113]), describere, ut lector earum similitudinem eo melius perspiciat:

---

110) Pomp. Macc. virg. apud Non. verecunditer p. 516, 33:
praeteriens vidit Dossennum in ludo reverecunditer
non docentem condiscipulum, verum scalpentem nates.

111) Pomp. Philes.: „non didici hariolari gratiis“.

112) Goldoni Memoires II, p. 192.

113) *Rom, Römer, Römerinnen* Tom. II, p. 125.

Die Väter und Bedienten, als die komischen Personen des Lustspiels, setzten sich mit unveränderlichem Antlitz, Kleidern und Charakter als ewige Helden fest, während die Liebespaare sich nach den Bedürfnissen der Fabel umkleiden und mannigfach sich geberden mussten. Die Väter sind also Pantalon, venezianischer Kaufmann, und der Doctor, bologneesischer Rechtsgelehrte. Der erste hat die Tracht jener Zeit beibehalten, in welcher Venedig den reichsten und ausgedehntesten Handel trieb: den schwarzen Mantel, das wollene Käppchen, das rothe Kamisol, die kurzen Beinkleider, die rothen Strümpfe, die Pantoffeln und den Bart. Der zweite Greis, genannt der Doctor, ist aus der Classe der Juristen genommen worden, um dem Handelsmann einen Gelehrten entgegenzustellen, und man wählte einen Bologneser, weil in dieser Stadt die berühmteste Universität des Landes. Das Kostüm ist die bologneser Professoren- und Advokatenuniform, die sich noch jetzt bei Feierlichkeiten sehen lässt, und die wunderliche Maske, die ihm Stirn und Nase bedeckt, soll nach einem Weinfleck gebildet worden sein, der das Gesicht eines berühmten Juristen aus jener alten Zeit entstellte. — Den Gegensatz zu diesen beiden Greisen- oder Mantelrollen geben die Bedienten: Arlechino und Brighella, die Zanni genannt und beide Bergameser. Der erste ist tölpisch[114], der andere verschlagen und gewandt und man wollte wissen, dass unter den gemeinen Bergamasken diese beiden Charaktere in den besten Originalen zu finden wären. Brighella stellt also einen ränkevollen, spitzbübischen und behenden Bedienten vor und trägt eine Art Larve. Seine bräunliche Maske erinnert an die Farbe der Bergbewohner, die von der Sonne versengt sind. Einige Schauspieler haben sich in dieser Rolle mit andern Namen benannt: Finechio, Ficheto und Scapin; aber es bleibt ein und derselbe Bergamaske. Auch Arlechino wird umgetauft: Tracagnino, Truffaldino, Gradelino, Mezzetino; aber jeder ist der Tölpel aus Bergamo und trägt als armer Teufel ein aus kleinen Stücken bunter Stoffe zusammen-

---

114) Riccob. Histoire du theatre Ital. apud Lessing. *Theatralische Biblioth.* T. II p. 161: „*Die italienische Komödie des 14 und 15 Jahrhunderts geben dem Harlequin den Charakter eines Tölpels, eines Vielfrasses und eines boshaften Schalkes*“.

geflicktes Kleid[115]*). Der durchlöcherte Hut passt zu dem ganzen Aufzug, und der Hasenschwanz, mit dem er geschmückt ist, dient noch heutiges Tages als Kopfputz der bergamaskischen Bauern*".

Quis non in Pantalone Pappum nostrum, in Doctore et Iurisconsulto Dossennum agnoscit? Qui apud nostros mercator Venetus est, dives plerumque, sed, ut solet, avarus, apud veteres erat aut agricola, aut municeps Campanus, qui tum ob praedia ampla et agros fertiles inter colonos longe ditissimi erant. Et Iurisconsulto fallaciarum et insidiarum pleno sub specie doctrinae ingentis plebeculae imponenti Dossennus respondet aeque dolosus et magicis suis artibus fatuos et superstitiosos rusticos fraudans. Macci cum Arlechino ut Bucconis cum Brighella similitudo sub oculos cadit. Ut illi patres compellabantur[116]), sic hi nomine Sannionum (Zanni) significabantur[117]). Manniones a sanna dicti, quae vox vultum ridiculo modo distortum, diductis labiis, ore hiante, corrugata facie et ostensione dentium denotat, qualis in veterum larvis comicis apparere solet, unde Cicero Sannione nihil magis ridiculum esse posse contendit, qui ore, vultu, imitandis motibus, voce, denique corpore ipso rideatur[118]).

Praeter has primarias personas alias etiam, quae secundas vel tertias partes egerint, in scenam prodiisse, certum est, quare

---

115) Vestigia talis vestimenti etiam apud veteres obveniunt: de centone, veste servorum, vid. Caton. apud Fest. v. prohibere, R. R. 59, Colum. I, 8; centunculi mimi mentionem facit Appul. Apol.: „quid enim si choragium thymelicum possiderem? num ex ea etiam argumentarere etiam uti me consuesse tragoedi syrmate, histrionis crocota, mimi centunculo?" cf. Riccob. apud Lessing. *theatral. Bibl.* II p. 142: „*In dem einzigen Worte* mimi centunculo *ist die Kleidung des Harlequin ausgedrückt.*" A tali veste etiam Pannuceati Pomponii nomen nacti esse videntur. Neque ille baculus ligneus, quo recentes Zanni instructi mimice gesticulantur et occurrentes leviter verberant, quemque Itali Pistolese, nos *Pritsche* nominamus, antiquis sannionibus defuit; nam simile iocosum telum clava scirpea erat, qua in Novii Phoenissis apud Fest. v. scirpus alter alterum occidere minatur.

116) Etiam in nova Graecorum comoedia Pollux Onom. IV, 19 duos patres discernit: τὰ τῆς νέας πάππος πρότερος, πάππος ἕτερος.

117) Veterum Sanniones et Italorum Zanni eosdem esse, iam olim probavit Riccoboni; cf. Lessing. *theatr. Bibl.* II p. 143 sqq.

118) Cic. de Orat. II, 61; cf. Non. v. Sannio: „Sanniones dicuntur a sannis, qui sunt in dictis fatui et in motibus et in scaenis (leg. obsceeni), quos μωρούς vocant Graeci;" Tarentinis σάννορος; Siculis Momar.

illas stabiles, has mutabiles iure dicere possumus. Sic verbi causa in Pomponii Lare fam. apud Prisc. VI, 686 persona quaedam Bassus, in eiusdem Macco apud Non. 115, 12 Diomedes partes habuit. Neque intererat, si quando vel stabiles personae nomen mutarent, ut si Pappum Simum nominarent, dummodo mores iidem manerent.

Iam ex his personis dependebat maxima parte fabularum argumentum. Hoc saltem patet ex omnibus, quae hucusque disputavimus, homines rusticos aut si qui essent eiusdem humilis conditionis in his fabulis primarias partes egisse. Itaque facile est explicatu, cum his personis earum superstitiones etiam in fabulas migrasse. Solebant enim, ut fere apud nos rustici inculti et rerum naturae ignari ingenii sui figmenta quaedam et monstra magis vereri, quam deos ipsos. Larvarum, manium, aliorumque daemonum invidia multa incommoda se perpeti credebant, magorum hariolorumque artes et miracula stupebant et horribilium rerum a talibus gestarum narratione delectabantur. Ita factum est, ut magna fabularum moles a maiorum ore ad posteritatem propagarentur. Itaque daemonologia quaedam, ut ita dicam, rustica ut vulgaris exorta est, quae plebeculae poesi largam materiam obtulit. Cuius superstitionis vestigia in Atellanis nonnulla obviam fiunt. Sunt inprimis larvae quaedam et terriculamenta, Graecis μορμολύκεια, quibus partes fuerunt in Atellanis. Ad has refero Manducum, Pythonem Gorgonium, Lamiam et Maniam. Omnes hae personae speciem praebebant supra modum horrificam, ut, si in scenam prodirent, infantibus praesertim rusticis terrorem iniicerent, unde Iuven. Sat. III, 174:

> tandemque redit ad pulpita notum
> exodium, cum personae pallentis hiatum
> in gremio matris formidat rusticus infans.

Valet hoc inprimis de Manduco sive Manducone, cuius, ut ait Festus, effigies in pompa antiquorum inter ceteras ridiculas formidulosasque personas ire solebat, magnis malis ac late dehiscens [119]) et ingentem dentibus sonitum faciens, de quo Plautus ait in Rudente (II, 6, 51):

119) Lucian. περὶ ὀρχήσ. 12: στόμα κεχηνὸς παμμέγα ὡς καταπιόμενος τοὺς θεατάς.

quid? si aliquo ad ludos me pro Manduco locem? —
quapropter? — quia pol clare crepito dentibus.

Manducus sive Manduco sive Mando a mandendo sive manducando nomen habet, ut discimus e Varrone [120]) et Nonio [121]). Manducus enim, ut Lamia, Mania aliaeque Larvae, malignus erat carnisque humanae appetens. Quare tales Lemures infantibus inprimis insidiabantur, quos devorarent, matresque et nutrices ideo solebant infantes clamitantes et male moratos his Larvis terrere. Originem huius superstitionis refert Macrob. Saturn. I, 7 e Varrone de L. L. VIII: Pelasgos Dodonaeo oraculo motos Latium petivisse regionemque incolis vastatam occupasse; deinde Diti sacellum, Saturno aram erexisse et in huius honorem Saturnalia instituisse, quumque diu humanis capitibus Ditem et virorum victimis Saturnum placassent propter oraculum, in quo esset:

καὶ κεφαλὰς Ἅιδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα,

Herculem ferunt postea cum Gergonis pecore per Italiam revertentem suasisse posteris, ut faustis sacrificiis infausta mutarent, inferentes Diti non hominum capita, sed oscilla ad humanam effigiem arte simulata, et aras Saturnias non mactando viros,

120) Varro de L. L. p. 372 ed. Speng.: „dictum mandier a mandendo, unde manducari, a quo in Atellanis obsonium vocant Manducum.“ Pro obsonium conieci olim in libro de L. Pomp. p. 82 not. obscenum et coniecturam hanc meam lectio optimorum Codd., ut e Spengelii editione postea intellexi, confirmavit. Recte Stievius l. c. p. 64 Scaligerum vituperat, quod ad Varron. l. c. Manducum inter Oscas personas referat: „Varro in Atellanis obsonium dicit vo- „cari manducum a mandendo et manducando, et nulla causa subest, quae obso- „nium in personam corrigi iubeat. Ex Pomponii enim fragmento apud Non.

‚magnus Camillus, manducus, cantherius,‘

„nil prorsus probari potest; nam manducus ibi non personam Atellanae, sed de- „voratorem, gulonem, matticum significat, quod idem adiectivum mansucius „ab eadem radice derivatum. Manducus deinde, de quo Festus loquitur, effigies „erat.“ Haec tamen non impediunt, quominus Manduco, ut Pythoni Gorgonio, Maniae ceterisque partes in Atellanis fuerint, quarum argumenta circa plebis mores et superstitiones versabantur. Apud nos etiam in similibus fabulis saepius sagae et daemones partes suas habent. Fuerunt, qui Manducum cum Graecorum Maesone, quem Chrysippus apud Athen. XIV, 659 et a *μασᾶσθαι* manducari derivat, compararent; cf. Müller. ad Varron. p. 157; sed recte contra hanc sententiam disputavit Schneidewin in Recens. Gaisfordii Paroemiogr. Graec. *Götting. gelehrte Anzeigen* 1837. *St.* 86, 87 p. 850 sqq.

121) Non. Manduc.: „Manducones, qui et Manduci dicti sunt et Mandones edaces: Lucil.: atque omnes Mandonum gulae. Varro Bimarg.: magna et tremiscat Roma et magnae Mandonum gulae.“

sed accensis luminibus excolentes, quia non solum virum, sed et lumina φῶτα significarent. Simili modo sacrificia Compitalibus a Tarquinio Superbo Laribus et Maniae celebrata mutata esse docet Macrob. l. c. Aliquamdiu enim ex responso Apollinis observatum est, ut pro familiarum sospitate pueri mactarentur Maniae deae, matri Larium. Quod sacrificii genus Iun. Brutus consul Tarquinio pulso aliter constituit celebrandum. Nam capitibus allii et papaveris supplicari iussit, ut responso Apollinis satisfieret de nomine capitum, remoto scilicet scelere infaustae sacrificationis; factumque est, ut effigies Maniae suspensae pro singulorum foribus, periculum si quod immineret familiis, expiarent. Restant hodie etiam reliquiae huius superstitionis apud Italos, qui, quod veteres Larvis et Manibus, ipsi sagis et malignis daemonibus adscribunt. Ut enim veteres Manduci effigiem in pompa ducebant, ita Florentiae ea nocte, quae festum Epiphaniae antecedit, terriculamentum immanis formae per vicos publicos trahitur, quod deinde de ponte in fluvium deiiciunt [122]).

Manduco similem **Pythonem Gorgonium** esse, quo nomine quaedam Pomponii fabula inscripta est, iam vidit Scalig. in Varr. L. L. p. 150 ed. Paris., Pythonem pro terriculamento, et Gorgonium pro Manduco, quia Gorgones cum magnis dentibus pingerentur dictum, existimans [123]). Affert, ut, quae de dentibus protulit, affirmet, duos versus e Lucilii Sat. XXX apud Non. p. 117, 34:

illo quid fiat, Lamia et Pytho oxyodontes
quo veniunt, illae gumiae, vetulae, improbae, ineptae.

---

122) Guil. Müller, l. c. II p. 69: *Die toskanischen Mütter und Ammen schrecken die Kinder mit der garstigen Fee Befana, die in der Nacht vor dem Dreikönigstage in der Gestalt einer riesigen Puppe durch die Strassen von Florenz zieht, begleitet von Fackeln, Trompeten und Trommeln. Diese Feierlichkeit eröffnet den Carneval, und nachdem die Puppe die ganze Stadt durchtobt hat, wird sie von einer Brücke herab in den Fluss geworfen. Den Kindern aber sagt man, sie fliege durch den Schornstein in die Häuser, um die Ungezogenen zu bestrafen, für die Frommen hingegen bringe sie Spielsachen und Zuckerwerk mit. Daher hängen die Kinder an diesem Vorabend ihre Röcke und Hosen mit ausgeleerten Taschen in die Hausflur auf, um sie sich von der Fee füllen zu lassen.*“ Romani quoque Idibus Maiis simulacra scirpea de ponte in Tiberin deiiciebant; Ovid. Fast. V, 521 sqq. De Citeria et Petreia, quas in pompis vehebant, vid. Fest. sub his vocibus.

123) Pollux Onom. IV, 18: μορμολύκειον, γοργόνειον, II, 4, X, 39.

Fragmentum unicum, quod e Pomponii Pythone Gorgonio servavit nobis Non. pervenibunt p. 508, 5:

hominem beatum, quo illae pervenibunt divitiae,

spectat fortasse ad superstitionem notam, qua tales Larvas thesauros ingentes sub terra absconditos custodire credunt, quibus ut potiantur, artes quasdam et carmina magica hariolorum adhibent homines. Verba, quae fragmentum affert, sunt, ut coniicio, talis hominis magicam artem profitentis, qui credulum hominem ad thesaurum eruendum commovere studet, beatum praedicans istum hominem, cui talium opum possessio contingat.

De Lamia non minus mira narrabant veteres. Erat Larva quaedam aeque terribilis ac Manducus, monstrum, ut ait Schol. vet. ad Horat. Epist. II, 3, 340, superius habens speciem mulieris, inferne vero in pedes asininos desinens. Nomen habet a λάμῳ i. e. ingluvie, quia devoratrix puerorum credebatur[124]). Inter alia, quae Lamiae adscribebant, facinora, etiam hoc erat, quod pueros dicebatur devorare, qui tamen vivi deinde alvo extrahebantur. Nec raro in fabulis hoc repraesentatum esse, annuit locus Horatii Epist. II, 3, 338 — 341:

ficta voluptatis causa sint proxima veri,
nec quodcunque volet, poscat sibi fabula credi,
neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo,
centuriae seniorum agitant expertia frugis.

Horatius enim, poetis praecipiens, quomodo recte fabulas componant, cavere vult, ne, ut nugarum auctores, ea in medium proferant, quae a sano homine credi non possint; nam si quis in dramate pueros a Lamia devoratos, deinde vivos alvo extractos repraesentare vellet, iure offenderet seniores, talia puerilia respuentes, quae, ut Tertull. adv. Valent. 3 ait, infantes inter somni difficultates a nutricula audiunt, Lamiae turres et pectines solis. Alia de Lamia miracula alii autores narrant. Fuisse verbi causa Lamiam quandam, quae quum domi sederet,

124) Schol. vet. ad Horat. Epist. I, 13, 10: „Lama est vorago; λάμος enim est ingluvies. Lamiae quoque dicuntur devoratrices puerorum.“

oculos suos iuxta se in olla depositos haberet, quos, quotiescunque domo egressura esset, sibi infigeret [125]).

Lamiarum figuras aliquas praebet Ficoronius Tab. L 1, de quibus haec habet: „aliae duae Larvae vetulas quasdam horridi „aspectus referunt, capillis nexis et calamistratis. Puto Lamias „esse, de quibus loquitur Lucilius, et Philostratus in vita Apol-„lonii (Libr. IV c. 8) ait, Lamias a quibusdam Larvas, ab aliis „Lemures appellari et carnes humanas vehementer appetere. „Verosimile videtur, has in scenam introductas fuisse, nam „Horatius ait:

‚neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.‘

„Quod autem muliebrem faciem haberent, discimus e Nizzolio „dicente: Lamia animal est, faciem praetendens muliebrem, ab „inferiore parte pedes asininos habens.“

Lamiis similes Larvae **Maniae** erant, de quibus Festus haec docet: „Maniae turpes deformesque personas. Manias „Ael. Stilo dici ait ficta quaedam ex farina in hominum figu-„ras, quia turpes fiant; quas alii Maniolas appellant. Manias „autem, quas nutrices minitantur pueris parvulis esse larvas, id „est Manes, quos deos deasque putabant, quosque ab inferis ad „superos emanare credebant, ut Mania est eorum avia materve. „Sunt enim utriusque opinionis auctores [126]).“ Composuit Novius fabulam **Mania medica** inscriptam, in qua eam miro quodam medicamine aegroto fere iam exspiranti medentem finxisse videtur. Imo nescio, an his antiquis Maniis idem contigerit, quod recentes Itali de sagis suis tradunt, quae et defunctis vitam reddere et decrepitos in puerulos mutare sciunt [127]). Similem metamorphosin effecit fortasse Novii Mania medica, pulcro

---

125) Isid. VIII, 11, 102. Plutarch. Curios. c. 2 p. 515; Arnob. adv. gent VI, 26; cf. Hartung: *Religion der Römer.*

126) „Maniae, formidinum imagines.“ Glossae Isidori.

127) Guil. Müller l. c. II p. 68: „*Die Feen sind mächtiger, als die Hexen und meist von grossmüthiger Natur. Eins ihrer vielen Wunder ist die Wiederbelebung und Verjüngung ihrer Lieblinge. Dieses geschieht auf folgende Weise. Eine grosse fette, eingepöckelte Sau wird von einander geschnitten und der menschliche Leichnam in ihrem Bauch begraben. Darauf wird das Thier von oben bis unten wieder zusammengenäht. Sodann hält die Fee der Sau eine Melone vor den Rüssel, und sobald dieser Duft dem Eingenähten in die Nase steigt, fängt er an sich zu fühlen, das Grab wird wieder aufgeschnitten und schön und lebendig springt der Leichnam heraus.*“

dono proposito [128]), corpus cuiusdam non sine multis suorum lacrymis in mortario terens pistillo [129]), deinde denuo restituens, ut renovatum exiret.

Maniae effigiem Ficoronius in gemma quadam incisam suspicatur, quam Tab. XXVI, 2 exhibet et tali modo describit: „Secunda monstrosae prorsus formae et colossalis magnitudinis „ex illis esse videtur apud veteres, quas ad metum, quasi um- „brae essent et phantasmata, ingerendum adhibere mos erat. „Plautus in Amphitr. (IV, 2) id plane testatur:

‚larva umbratilis, tu me minis territas.‘

„Ex Festo, quid Maniae et Larvae sibi vellent, dignoscitur. „Alii vero secundum Laurentium in sua Polymathia aiunt, Ma- „niam Larium fuisse genitricem, quorum Larium proprium ac „populare est, inquit Paccichellus, insaniam mittere.“ Alteram imaginem, triplicem faciem Maniae repraesentantem dedit Ficoron. Tab. LIV, 5, de qua haec habet: „Quinta tribus Larvis „constat, duabus simul iunctis, altera vero in aversa parte „earundem. Omnes sunt terrificae,' de quibus loquitur Plinius, „qui eas Manias appellat, quae secundum Festum sunt turpes de- „formesque personae, vel saltem, de quibus Lucianus ait: or- „natus histrionum turpe et minime iucundum spectaculum; homo „longitudine deformi atque incomposita mafos, altis calceamen- „tis ingrediens, caput larva minaci obductum habens, tam per- „amplo ore hiante, quasi spectatores devoraturus. Hae tres „Larvae in magno numismate, ut dicunt, contorniato expressae „sunt. — Haec numismata restituta fuisse ferunt in festis et „ludis, quare non mirum, si in hoc nostro Larvae repraesen- „tantur.“

Atellanarum praestantia non tam in denodatis sagaciter fabulae nexibus, ut palliatarum, quam in morum diversissimarum personarum accurata imitatione posita esse videbatur. Pertinebant enim maxima parte ad id genus comoediarum, quod

128) Nov. Man. Med. apud Non. praesente 154, 21:
te volumus dono donare pulcro, praesente omnibus.

129) Nov. Man. Med. apud Non. pistillus p. 221, 1:
lacrymae cadent,
cadet pistillus.

nostri *Charakterstücke* dicunt, oppositum ei, quod *Intriguenstücke* nominant, quod inde patet, quod quum primum ex tempore agerentur, illa species minus artis postulabat, tum etiam omne mimicum genus, cui, ut supra ostendimus, fabula Atellana adnumeranda est, prae ceteris in describendis hominum moribus versabatur, unde Atellani etiam ἀρεταλόγοι, βιολόγοι, ἠθολόγοι audiebant. Itaque non solum singulorum hominum mores, sed totos ordines et diversa hominum genera salse describebant, quod multarum fabularum tituli clare probant. Composuit Pomponius fabulam Aleones, in qua sine dubio istorum hominum fraudes et malas artes depinxit [130]), Haeredem petitorem, conviviis senum testamenta captantem [131]), Lenonem, Mundam, i. e. mulierem prodigam, mundo muliebri nimis deditam, quae eleganti quidem aspectu amatores allicit [132]), virum tamen brevi tempore luxuria sua ad paupertatem redigit [133]); Prostibulum, corporis sui quaestum faciens, hominum rumore posthabito [134a]); Novius scripsit Hetaeram, Malevolum, Parcum, i. e. avarum, qui opes cumulat, quibus nunquam fruitur [134b]). Amabant Atellanarum poetae praecipue infimos hominum ordines in scenam producere, quales prae ceteris Fullones erant, genus hominum ob impudicitiam et spurcitiem male notum. Testatur nequitiam fullonum Festus v. Naccae: „naccae appellantur vulgo fullones, ut ait Curiatius, quod nauci non sunt, id est nullius pretii. Idem sentit et Cincius“; et diserte impudicitiam Novianorum fullonum

---

130) Pomp. Aleon. apud Non. olat p. 147, 2:
aleo ludam, sane meae male olant manus.

131) Pomp. Haered. petit. apud Non. ampliter p. 511, 18:
heus aptate, pueri, munde atque ampliter convivium!

132) Pomp. Mund. apud Non. suav. p. 474, 12:
ego illam non amplectar? ego non suaviem?

133) Pomp. Mund. apud Non. convivant p. 474, 21:
si calendis convivant domi, idibus coenant foris.

134a) Pomp. Prostib. apud Non. rumen p. 18, 15:
ego rumorem parvi facio, dum sit rumen, qui impleam.

134b) Nov. Parc. apud Gell. XVII, 2:
quod magnopere quaesierunt, id frunisci non queunt,
qui non parsit, apud se, fruritus't.

tangit Tertull. de pallio c. 4 p. 4 ed. Commel. „sed et qui arte „Tirynthium accesserat pugil Cleomachus post Olympia cum „incredibili mutatu de masculo fluxisset inter cutem caesus et „ultra inter fullones iam Novianos coronandus[135].“ Restant tituli nonnullarum fabularum Pomponii Noviique, in quibus fullonibus primae partes fuisse videntur[136], et multa fragmenta, quae impuritatem fullonum confirmant.

Praeter fullones Praecones partes habuisse in Atellanis apparet e titulis fabularum[137]. Praecones enim veteribus ob ignorantiam et stultitiam praecipue contemtui et derisui fuisse videntur[138]. In scenam porro inductos esse praeter hos Aedituos, Aruspices, Pictores, Piscatores, Pistores fraudulentos, qui, quod molendum conduxerunt, vicinos decipientes, ipsi comedunt[139], Medicos, Vindemiatores aliosque, testantur fabularum tituli. In Militibus Pometinensibus Novius genus quoddam militum subitariorum carpsisse creditur; fragmentum saltem e Novii Militibus Pometin. apud Non. valgum p. 25, 11 talem homuncionem nobis ridicule describit:

---

135) Franc. Iunius ad hunc locum haec adnotat: „inter cutem caesus lege „intercutem caesus unica voce, qui idem inter cutem flagitatus i. e. flagitium „passus horrendum natura praepostera. Sic intercutibus obstinatis dicebat Cato „apud Prisc. VI et intercutiti veteres auctore Festo. His opponuntur intercutem „flagitantes, portentosi homines, qui una voce fullones nuncupati, nefandae „obscenitatis artifices, unde puer apud Plautum (Pseud. III, 1, 16) sibi potandum „dicit fructum fullonium, foedissimam patientiam significans, inquit Turnebus. „Atque hoc impudico nomine comoediam quandam inscripsit Novius Atellanam, „spurcissimam omnium, unde Noviani fullones Tertulliano dicti.“

136) Pomponii Fullo apud Non. 504, 26, Fullones apud eund. 482, 32, Decuma fullonis apud Fest. v. temetum; Novii Fullones feriati apud Non. p. 81, 22.

137) Pomponii et Novii Praeco posterior; Pomponii Praeco rusticus.

138) Mart. Epigr. V, 58:

si duri puer ingeni videtur,
praeconem facias vel architectum.

Iuven. Sat. III, 157:

hic plaudat nitidi praeconis filiis inter
Pinnaripi cultos iuvenes iuvenesque lanistae,

ubi igitur praeconum filii eodem iure, quo lenonum et gladiatorum censentur.

139) Pomp. Pistor. apud Non. comest p. 81, 21:

decipit vicinos, quod molendum conduxit, comest.

valgus, veterinosus, genibus magnis, talis turgidis [140]).
In Campanis, Gallis Transalpinis, Syris similibusque mores harum gentium describebantur.

Nexus fabularum, ut iam supra monui, tum simplex erat et parum artis prodidit, tum vero nodus adeo extra omnem exspectationem et veri speciem solvebatur, ut tricae Atellanae merito in proverbium abirent. Nihil enim facilius extricatu, quam harum fabularum nodus, unde Varro γεροντοδιδασκάλῳ apud Non. v. tricae: „putas eos, inquit, non citius tricas Atellanas, quam id extricaturos.“ Dicebatur etiam: tricas Atellanas conduplicare, ut ex Arnobio discimus [141]), si quis vel ineptissimas latebras et praetextus qualescunque cumulat, ut se rei molestae et iniucundae subducat. Id profecto certum est, in ludicris istis auctores omnem modum excedentes verisimilitudinem plane susque deque habuisse, ineptiis saepissime ad nauseam eruditorum auctis, quare Cicero ad Fam. VII, 1, Marium putat non Oscos ludos desiderasse, praesertim quum Oscos vel in senatu spectare possit, senatus perversa et inepta consilia actionesque tangens.

Fragmenta, quum sint admodum exigua, nobis certi aliquid de modo, quo poetae fabulae nodum et necterent et solverent, dare non possunt; itaque hic quoque fere coniecturis modo locus est. Iam videntur, ut in similibus dramatum generibus, discrimina earum personarum, quae primarias partes agebant, plerumque ea esse, ut difficultates vix superandae amori suo obstent, quae tamen dolo, fraude, similibusque machinis servi cuiusdam dominum fallentis filiumque adiuvantis vincuntur. Quorum indicia vel in exiguitate fragmentorum nostrorum non desunt. Exempli gratia affero Pomponii Praeconem posteriorem. Videtur in hac fabula senex uxorem adolescentulam ducturus esse, quam ipsius filius sibi exposcat. Vetulus Zelotypia motus

140) Both. Poet. scen. fragm. II p. 50: „describitur, nisi fallor, aliquis ex istis militibus, quibus similes nostri, quos vocant *Spiessbürger*.“

141) Arnob. adv. gent. V p. 167 ed. Stewech.: „Iam dudum me fateor haesi-„tare, circumhiscere, tergiversari, tricas, quemadmodum dicitur, conduplicare „Atellanas (vulg. tellenas), dum pudor me habet, alma illa proferre mysteria, „quibus in Liberi honorem patris Ithyphallos subrigit Graecia et simulacris viri-„lium fascinorum territoria cuncta florescunt.“

acutissime mulierem observat[142]. Nihilominus tamen servus, alter scilicet Davus, tergo vario, lingua vafra[143]) filio et novercae opitulans, fraudes invenit, quibus se facturum esse pollicetur, ut noverca senem deserat[144]), dum senex ad Veneris aedes profectus votum exsolvat[145]). Irritum tamen consilium facit casus quidam, ut videtur, subitus patris reditus[146]), qui fraude detecta iratus in filium frustra se excusantem vehementer invehit, eumque exheredare minatur[147]). Tandem vero, nescio quo casu, vel qua arte servi adversae amatoris res subito mutantur, et, quod non speraverat, voti compos fit[148]).

Alius argumenti Pomponii fabula, quae Pannuceati inscribitur, fuit. In hac enim fabula pater quidam a maiore filio instigatus minorem, quod nebulo esset, eiecerat. Patrem quidem deinde facti poenituisse videtur, filius vero, postquam fratrem domo eiectum vidit, vetulam, sed opulentam uxorem, quae, ut solent bene dotatae, coniugem obnoxium habuit, duxerat[149]). Post aliquod tempus minor aeque pauper, ac pro-

142) Pomp. Praec. post. apud Non. senica p. 17, 21:
sed me exercet senica nequam, neque illo quid faciam scio.
verba, ut videtur, mulieris de sene querentis.

143) Pomp. Praec. post. apud Non. vafrum p. 19, 31:
tergum varium, linguam vafram.

144) Pomp. Praec post. apud Non. derepente p. 518, 18:
vis facere, ut noverca vetulum derepente deserat?

145) Pomp. Praec. post. apud Non. operari p. 523, 11:
ad Veneris profectu'st mane vetulus, votum ut solveret;
ibi nunc operatus est.

146) Pomp. Praec. post. apud Non. mactare p. 342, 10:
at te Di omnes cum consilio, calve, mactassint tuo;
verba adolescentis ad servum, ob malum consilium irati.

147) Pomp. Praec. post. apud Non. particulones p. 20, 7:
age modo, sta, garri, particulones producam tibi;
verbi patris ad filium.

148) Pomp. Praec. post. apud Non. acc. pro nom. p. 500, 25:
quot laetitias insperatas modo mi irrepsere in sinum;
verba iuvenis.

149) Pomp. Pannuceat. apud Non. nubere p. 143, 26:
sed meus frater maior postquam vidit me inde eiectum domo,
nupsit posterius dotatae, vetulae, varicosae, vafrae.

fectus est, domum rediit[150]). Vix paternam domum intrare audet, fratrem metuens, qui patri suadet, ut aut ipse eum efficiat, aut sibi permittat, ut faciat[151]). Frustra pannuceatus se non sua, sed fortunae adversae culpa mendicum rediisse affirmat[152]). Tandem, fortasse patre suadente, simulat, se denuo patriam relinquere, redit tamen non ita multo post vestimento mutato[153]), nescio quem peregrinum fingens. Dono primum mulieris favorem sibi parat[154]), quae deinde maritum fratri reconciliat, quo laetus exitus efficitur.

Uti in hac fabula, ita alibi etiam vestium mutationes adhibitae esse videntur, quibus ridiculorum errorum ansa praebeatur. Exemplum iam supra dedi e Pomponii Maccis geminis, ubi quidam sexum mentitus puella habetur. Aliud exemplum praebent Kalendae Martiae Pomponii apud Macrob. Sat. VI, 4. Mos erat matronis Kalendis Martiis, quibus olim annus initium cepit, servis coenas apponere, ut dominis Saturnalibus, et amatores maritique eodem die feminis munera mittere solebant[155]). Hoc more argumentum illius fabulae niti videtur. Simulat enim homo quidam, alio adiuvante, certam quandam

---

150) Pomp. Pannuc. apud Non. rutrum p. 18, 20:
sarculum hinc illo profectus, illinc rediisti rutrum.

151) Pomp. Pannuc. apud Non. p. 19, 22:
dixi ego, illud futurum, in prima valva est, vix haeret miser,
evannetur, et mea ocyus opera ut fiat, fecero.

152) Pomp. Pannuc. incoxavi p. 39, 7:
neque interim cacandi causa unquam incoxavi nate.

153) Pomp. Pannuc. apud Non. penula p. 547, 8:
penulam in caput
induce, ne te noscat;
verba, ut videtur, patris ad minorem filium hortantis, ne frater fraudem cognoscat.

154) Pomp. Pannuc. apud Non. trua p. 19, 15:
mulier ubi
aspexit tam mirifice tutulatam truam.

155) Suet. Vesp. 19: „sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita et Kalendis Martiis feminis."
Mart. Epigr. V, 85, 10:
scis, certe puto, vestra iam venire
Saturnalia, Martias Kalendas,
tunc reddam tibi, Galla, quot dedisti.

mulierem, ut strenas, quas huic amator missurus sit, sibi acquirat, quod clare patet ex fragmento ex hac fabula a Macrobio nobis servato [156]. Ceterum notandum est, Atellanarum scriptores amasse, argumenta e ritibus festorum dierum petere; nam Pomponius praeter Kalendas Martias scripsit fabulam Quinquatria et Decumam sive Decumam fullonum [157], Decumam etiam Novius. Saturnalium mentio fit a Novio et Memmio [158]. Neque in Atellanis desideramus, quod in ceteris dramatibus saepissime obviam fit, ut ἀναγνώρισις iusto tempore facta laetum exitum afferat. Sic verbi causa in Pomponii Fullonibus frater inopinatus sororem invenit [159].

Quum in Atellanis plerumque, ut quidem e titulis fragmentisque superstitibus concludere possumus, fabula intra humiles agricolarum similiumque hominum fines versaretur, id mirum videri posset, quod in nonnullis fabulis, his regionibus relictis, mythica materia tractabatur. Non dubitandum est, quin hoc Rhinthonico modo factum sit, ut de Pomponii Agamemnone supposito iam olim probavi [160]. Eiusdem generis aliquot Novii fabulae erant, de quibus infra sumus locuturi. Comoedia Rhinthonica, quae etiam hilarotragoedia sive tragicocomoedia audit, ea est, quae tragicam materiam ridicule convertit eo, quod cothurnatis tragoediae personis, ut sunt dii, heroes, reges similesque, comicas personas immiscet, quales sunt servi [161a]. Cuius generis exemplo nobis

156) Macrob. Sat. VI, 4:

vocem deducas oportet, ut videantur mulieris
verba. — iube modo afferatur munus, tenuem et tremulam
vocem ego reddam.

157) De Decumis vid. Varr. apud Macrob. Sat. III, 12; Cicer. de Offic. II, 17, ibique interpretes.

158) Macrob. Sat. I, 10.

159) Pomp. Fullon. apud Non. complectite p. 472, 32:

quin ergo quando convenit, complectite!
mi frater salve! — o soror salve mea!

160) De L. Pomp. p. 56 sq.

161a) Plaut. Amphitr. Prol. 59 sqq.:

faciam, ut commista sit tragicocomoedia:
nam me perpetuo facere ut sit comoedia,
reges quo veniant et di, non par arbitror.
quid igitur? quoniam hic servus quoque partes habet,
faciam, sit, proinde ut dixi, tragicocomoedia.

est Planti Amphitruo. Iam ut hic Sosiam, comicam fabulae personam, e palliatis comoediis mutuatus est auctor, ita conicio in Pomponii Noviique Atellaniis tragicocomoediis Oscas personas, Maccum inprimis, partes comicas egisse.

Hactenus de personis, materia, argumentoque fabularum Atellanarum disputavimus; iam nunc dicendum erit de forma, qua hi ludi usi sunt. Primum omnium id constat, has fabulas, quum Romae edi coepissent, ex tempore ab actoribus datas esse, ut hodie etiam tales fabellae edi solent. Convenit enim antea inter actores primo de fabulae argumento, deinde de eius partibus personisque, denique de ordine, quo actores in scenam prodirent suasque partes agerent. Verisimile est, quendam actorum ante fabulam agendam prologi quodammodo munere fungentem spectatoribus fabulae argumentum exposuisse. Itali quidem recentiores argumentum litteris mandatum, theatri parietibus affixum, quod scenarium vocant, prologi vicem habent[161b]. Pomponius demum Noviusque primi erant, qui Atellanas scripserunt, quod, ut iam olim ostendi[162], non sine damno quodam Atellanarum ipsarum factum est. Licentia enim procax, qua olim spectatores delectabantur, tunc in artem mutata effecit, ut ludus vulgo ob novam e fabulis palliatis desumtam formam fere alienatus, ab eruditis ob rudem materiam contemtus neutri parti satis faceret. Pro certo tamen habeo, etiamsi veterum testimonia desunt, vel post Pomponium Noviumque, praesertim in oppidulis antiquo more Atellanas actos esse subita actione.

Ceterum notandum etiam est, Atellanas, ut par erat talibus exodiariis spectaculis, palliatis fabulis breviores fuisse et per pauciores personas agi solitas esse, ut nos docent Asconius Pedianus et Fronto ad Marcum Caes. et annuit etiam Livius voce Atellanis fabellis[163]. Atellanas nonnunquam denuo reprae-

---

161b) Guil. Müller l. c. II, p. 117.

162) In libro de L. Pomp.

163) Ascon. Ped. ad Cic. divin. ad Verr. 15: „Latinae fabulae per pauciores agebantur personas, ut Atellanae, togatae et huiusmodi aliae." Fronto ad M. Caes. 2, 9: „sed cum leges sexaginta in illis sint et Novianae Atellaniolae et Scipionis oratiunculae, ne tu numerum nimis expavescas."

sentandas ab auctoribus retractatas esse, demonstrant Pomponii Macci gemini priores apud Charis. II p. 187 eiusdemque Noviique Praeco posterior apud Non.

Iam nunc venimus ad difficillimam quaestionem de lingua, qua in illis ludicris Oscis usi sint veteres. Meam de hac re sententiam paucis annui in libello de L. Pomponio p. 21, not., tamen non abs re fore puto, eandem rem prolixius hoc loco retractare. Iam primum omnium lectori Strabonis locum, qui totam litem movit, proponamus. Haec enim eius verba sunt libr. V, 6: „*ἴδιον δέ τι τοῖς Ὄσκοις καὶ τῷ τῶν Αὐσόνων ἔθνει συμβέβηκε· τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις· ὥστε ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι κατά τινα ἀγῶνα πάτριον καὶ μιμολογεῖσθαι.* Contendit igitur Strabo, Oscorum dialectum, licet Osci ipsi iam evanuerint, apud Romanos manere etiam in poematibus, quae in certamine quodam patrio in scena a mimis aguntur. Quamquam non diserte fabulam Atellanam nominat, tamen omnes interpretes et recte quidem ad hoc ludorum genus dictum referunt, tum ob Oscam Atellanarum originem, tum quia *ἀγῶνα πάτριον* eas dicat, quum alii etiam scriptores Atellanas tanquam Latinas fabulas a Graecis discernant [164]). De suo tempore Strabonem loqui apertum est, e verbo *μένει*, e quo tamen colligi etiam potest, iam antea Atellanos Osca dialecto usos esse. Mirum vero est, neminem Latinorum scriptorum nobis de hoc Oscae dialecti usu aliquid tradidisse, imo quotiescunque Osci sermonis mentionem faciunt, de eo sic loquuntur, ut appareat, eum non tam dialectum sive idioma, ut aiunt, Latinae linguae, quam linguam a Latina diversam fuisse. Titinii versus apud Fest. voce Oscum:

qui Osce et Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt,

quem Stievius [165]) huc ducit, nihil probat, tum quia demonstrari nequit, eum ad eludendos Atellanos, ut vult, dictum esse,

---

164) Diomed. III, 437: „tertia species est fabularum Latinarum, quae a civitate Oscorum Atella, in qua primum coeptae, Atellanae dictae sunt.“ Ascon. l. supro citato.

165) L. c. p. 55: „huc etiam duci potest versus Titinii apud Festum, fortasse ad eludendos Atellanos scriptus, quo Osce et Volsce eos fabulari dicit, quod Latine nescirent.“

tum quia inde sequeretur, non solum Osce sed Volsce etiam Atellanos fabulatos esse, Latine vero nescivisse, quod fragmenta refutant. Nullius etiam momenti est, quod Suetonius [166]) memoriae prodidit, Iulium Caesarem et post eum Octavianum ludos regionatim urbe tota per omnium linguarum histriones edidisse. Sermo enim hic est de histrionibus peregrinis, qui patria sua lingua patrioque more ludos agebant, novitate rei populum delectantes. Fabulas Atellanas vero non per histriones, sed per iuvenes Romanos actas esse, notum est. Neque facit ad id, quod Strabo refert, probandum, quod Atellanae fabulae etiam ludi Osci sive ludicra Osca audiebant, quod nomen non a lingua, qua actitatae sunt, sed ob originem, unde ortae, sunt nactae. Eodem modo palliatae fabulae tragoediaeque Graecae dictae sunt, non quod Graece loquebantur actores, sed quia argumentum Graecum erat. Luculenter hoc apparet e Ciceronis locis ad Famil. VII, 1, ubi Marium Graecos aut Oscos ludos non putat desiderare, sub Graecis ludis Clytaemnestram Attii et equum Troianum Livii Andronici intelligens, et ad Att. XVI, 5 Attii Tereum Graecum ludum dicens [167]).

Sed fingamus, Strabonem verum nobis tradidisse, Romanos in Atellanis Osca lingua usos esse, iam quaeritur, quando hanc linguam adhibere inceperint. Sine dubio cum ludis ipsis lingua etiam Romam migravit. Qui vero fieri potuit, ut iuvenum ioci et dicteria, quae, ut Livius VII, 2 tradit, intextis versibus, Latinis tamen, inter se iactabant, Atellanis lingua Osca actis consererentur? An dicamus, iuvenes etiam Osce loqui coepisse, qui fabulas Graeci argumenti, etsi Latine compositas histrionibus relinquebant, quippe discrepantes ab avitis moribus? Neque magis seriori tempore Latinam linguam cum Osca mutavisse eos, probant fragmenta quotquot supersunt. Imo factum est, ut Atellanae tanquam vernaculum Latinae poeseos genus a Romanae antiquitatis studiosis prae ceteris ita adamarentur, ut eas veluti fontem adirent. Itaque Atellanae ut togatae Latinis fabulis adnumerabantur, et seriori tempore si quis affectabat in-

166) I. Caes. 39, Oct. 43.

167) Ernest. Clav. Cicer. ad h. l.: „Graeci ludi sunt scenici, in quibus fabulae Graeci argumenti more Graeco aguntur."

signe Latinarum litterarum studium antiquitatisque Romanae amorem, Atellanas imprimis amplectebatur, ut ille Trimalchio apud Petron. Sat. c. 53, qui se Comoedos emisse dicit et maluisse illos Atellanam facere et Choraulem iussisse Latine cantare; ad quem locum recte Burmannus observat, ut scilicet se studiosum Romanae antiquitatis, homo Graecae certe vel peregrinae originis, probaret; Atellana enim propria Romanis, quare et Choraulem suum Latine iussit cantare. Et Imperator Marcus Aurelius studii causa ad penitiorem, ut videtur, antiquitatis cognitionem praeter Scipionis oratiunculas Novii Atellaniolas excerpsit, ut ipse scribit ad Frontonem[168]).

Si quis tamen contendit, Oscam dialectum non ita multum a Latina lingua recessisse, et differentiam in singulis modo verbis et dictionibus, vel in propria quadam litterarum pronuntiatione et vocum modulatione positam fuisse, quemadmodum fere in nostra patria dialectus, qua verbi causa Austriaci utuntur, a Bavarica discrepet, sive Saxonica a Silesiaca, ut e scriptis monumentis vix possit discrimen animadverti; is consideret, ex iis, quae veteres de Oscorum sermone tradunt, aliter sentiendum esse. Intercedebat quidem similitudo quaedam inter Oscam et Latinam linguam, quum utraque in iis vocibus, quae cum Graecis non consentiunt, communem originem prodat[169]), tamen tum ex Oscae linguae reliquiis, tum e variorum auctorum testimoniis apparet, Oscum sermonem a Latino adeo diversum fuisse, ut qui alterum sciret, non etiam alterum intelligeret. Oscas quidem voces speciminis causa collegit Schoberus in libello, quem de Atellanis Germanice conscripsit p. 20, et recte addidit locum Livii X, 20, qui narrat, Romanum ducem in bello Samnitico gnaros Oscae linguae in hostium castra misisse exploratum, quid agatur, et Gellii XVII, 17, qui tradit, Ennium gloriatum esse, se tria corda habere, quia Graece, Osce et Latine loqui sciret. Huc trahendus etiam Titinii versus supra e Festo citatus et locus Macrobii VI, 4[170]), qui Osca verba, ut

168) Front. ad M. Caes. II, 3.

169) Niebuhr: *Römische Geschichte*, I, p. 65 ed. 2; C. O. Müller. Etrusc. I, p. 24 sqq.; Iac. Henop. de lingua Sabina p. 40.

170) „Nec non et Punicis Oscisque verbis usi sunt veteres, quorum imitatione Virgilius peregrina verba non respuit.“

Punica, tanquam peregrina hic illic a veteribus usurpata esse docet. E quibus omnibus, ut mihi quidem videtur clare patet, Oscorum sermonem a Latino satis discrepasse.

Non magis placet etiam Stievii sententia, qui l. c. p. 56 dicit: „Quod de lingua Osca Strabo affirmat, sane haud sper-„nendum est testimonium, quo tamen probari nequit, Atellanos „mera Oscorum lingua usos esse. Hoc enim Strabo non dicit „neque quidquam eius verbis detrahimus statuendo, Atellanos „non raro Oscam linguam adhibuisse; et sic vere se res habet. „Suspicionem Latinae linguae iam iniiciunt exodia illa Romana „apud Livium; omnem vero litem dirimunt fragmenta Atellana-„rum, quae omnia, quotquot vidi, lingua Latina conscripta „sunt. Quod quum argumentum sit, hanc linguam non exulasse „ab Atellanis, tamen non prorsus excludit Oscam; qui enim „versus quosdam ex his fabulis nobis tradiderunt, fere gram-„matici sunt, qui Latina modo exscripserunt, ut alicuius verbi „aut constructionis Latinae usum comprobarent. — Haec omnia „me commovent, ut maiorem saltem partem in Atellanis linguam „Latinam usurpatam esse contendam." Habet omnino aliquam speciem, si coniicimus, in Atellanis etiamsi non omnes, tamen saltem Oscas personas Osce locutas esse. Tamen quod veteres de hac re tacent, iam rem suspectam reddit; deinde fragmenta supersunt, quae sine dubio verba Oscarum illarum personarum continent, quibus apparet, etiam eas Latine locutas esse. Sic verbi causa Macci dictum refert fragmentum apud Charis. I p. 99 e Pomponii Macco milite:

cum contubernale ego pugnavi, quod meam
coenam . .

Bucconis apud Nonium puriter p. 516, 18:

fac, Bucco, puriter uti tractes. — lavi iamdudum manus.

Pappi filii ad Pappum in Novii Pappo praeter. apud Non. capulum 4, 29:

dum istos invitabis suffragatores, pater,
prius in capulo, quam in curuli sella suspendes nates;

Dossenni in Pomp. Philos. apud Non. memor p. 514, 23:

ergo, mi Dossenne, quum istaec memore meministi, indica,
qui illud aurum abstulerit. — Doss. non didici hariolari
gratiis.

Et qui potuisset ex his, quae supra de diversitate utriusque linguae adnotavimus, fieri, ut vulgus, cui inprimis haec ludicra edebantur, Osce loquentes actores intelligeret, praesertim Strabonis tempore, quo, ut ipse dicit, Oscorum gens iam perierat?

Qui de singulis modo dictionibus et verbis e lingua Osca in Atellanas delatis cogitant, non inepte quidem coniiciunt[171]), quum verisimile sit, multa, quae propria Oscis fuerint, cum Oscis personis in Atellanas, quales Romae ederentur, migrasse. Probat hoc etiam Varronis locus[172]), qui dicit, Pappum senem in Atellanis Cascum dictum esse, quia Osci Casnar eum appellavissent[173]), sed docemur etiam hoc loco, vel in ipsis singulis vocibus ex Oscorum lingua petitis, eos formam vulgarem peregrinae praetulisse. Ita etiam in fragmento e Pomponii Gallis Transalpinis apud Gell. XVI, 6 deus Mars sub hoc Latino nomine invocatur, non Mamers, ut Osci pro Marte dicere solebant teste Festo s. h. voce. Et licet multa fuerint ex Oscorum sermone ab Atellanis recepta, tamen ideo dici non potest, actores Osce locutos esse; nam non solum ex Osca, sed ex aliis linguis quoque, e Graeca potissimum, e Punica, Gallica singula verba in Latinam abierunt, ut recte monet Macrob. Sat. VI, 4.

Iam his omnibus perponderatis, non possumus, quin Strabonem erroris arguamus. Quae tamen erroris causa fuerit, explicare conatus sum in libello de L. Pomponio p. 21 sq. not. Ostendi enim, Osce loqui utrumque significare: et Oscorum lingua uti, et rustice, inepte, obscene loqui, ut solebant in Atellanis. Hanc vocis Oscus, Opscus, Opicus[174]) vim legimus Iuven. Sat. VI, 454:

---

171) C. O. Müller Etrusc. I p. 25: „*Wir wollen gern das Argument Preis geben, welches Strabons Angabe gewährt, dass die Atellanen, die Oskischen Stücke zu Rom, auch im Oskischen Dialekt gegeben und verstanden worden wären, und dabei nur etwa an einzelne, aus dem Oskischen beibehaltene Ausdrücke denken.*"

172) De ling. Latin. p. 315 ed. Speng.

173) Fest. Casnar, Cascar, senex, Oscorum lingua.

174) Paul. Diac. e Fest.: „Obscum dicitur significare sacrum, unde et leges obscitae i. e. sacratae. Opicum etiam invenimus pro Osco. Oscis enim frequentissimus fuit usus libidinum spurcarum, unde et verba impudentia appellantur obscena."

nec curanda viris Opicae castigat amicae
verba,

i. e. quae Osce, barbare, indocte loquitur, ut interpretes recte explicant; et III, 207:

et divina Opici rodebant carmina mures,

i. e. litterarum imperiti. Recte itaque Erasm. in Adagiis Osce loqui interpretatur turpiter, parum pudice. Quae quum ita sint, facile fieri potuit, ut Strabo, quippe peregrinus, quum audiret Atellanos in ludicro Osco Osce i. e. obscene loqui, de prisca Oscorum lingua falso cogitaret.

Quamvis igitur demonstraverimus, actores in fabulis Atellanis Latine locutos esse, tamen sermo personis adaptatus non is fuisse videtur, quo urbani et eruditi viri uti solebant, sed potius ruris et vetustatis vestigia multa continuisse, probabile est. Cuius rei testimonia non desunt. Varro enim et Festus auctores sunt, meretrices appellatas esse scorta e consuetudine rusticorum apud Atellanos antiquos [175]; Fronto ad M. Caes. IV, 3 p. 95 Novium, Pomponium et id genus elegantes dicit in verbis rusticanis, et Horatius queritur, ruris vestigia ex antiquis Romanorum carminibus, quibus Satiras, exodia iuvenum et Atellanas adnumerandas esse, supra vidimus, vel suo tempore in poetarum scriptis nondum deleta esse [176]. Verum credendum est, Atellanas, quum scriptae ederentur, lingua paulo cultiore et minus rustica compositas fuisse. Ostendunt haec certe Pomponii Noviique fragmenta [177]; tamen auctores prudenter colore quodam vetustatis sermonem tinxerunt, nec vulgaribus verbis abstinuerunt. Quo factum est, ut Velleius II, 9, 5, Pomponium

---

175) Varro de L. L. VI p. 362 ed. Speng.: „scortari est saepius meretriculam ducere, quae dicta a pelle. — In Atellanis licet animadvertere, rusticos dicere, se adduxisse pro scorto pelliculam." — Fest. s. v. scort.: „scorta appellantur meretrices ex consuetudine rusticorum, qui, ut est apud Atellanos antiquos, solebant dicere, se attulisse pro scorto pelliculam."

176) Horat. Epist. II, 1, 156 sqq.:

Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
intulit agresti Latio; sic horridus ille
defluxit numerus Saturnius, et grave virus
munditiae pepulere; sed in longum tamen aevum
manserunt hodieque manent vestigia ruris.

177) De L. Pomp. p. 52; cf. Fronto ad M. Caes. IV, 3 p. 95 ed. Mai.

verbis rudem dicat. Etiam Horatius, etsi non nominatim, harum fabularum immunda et ignominiosa dicta notat [178]).

Superest, ut aliquid de Graeco fragmento, quod ex Atellanico quodam cantico nobis servavit Suet. Ner. 39 ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ addamus. Non necesse est, ut inde cum Stievio p. 57 colligamus, Atellanos ut Oscos sermones, ita Graecos quoque versus fabulis suis inseruisse. Fabulae argumentum ita forte tulit, ut quis actorum, qui vel Graecum hominem, vel, quod verisimilius est, Romanum graecissantem, qui amabat Graeca Latinis ostentationis causa immiscere, repraesentaret. Cantici enim clausula, quam Suetonius eodem loco citat: „Orcus vobis ducit pedes", certe Latine scripta erat. Itaque de frequentiore linguae Graecae usu in hoc scenico genere plebi plerumque dicato et prae ceteris Latinum dicto nullo modo cogitandum est.

Versibus compositas fuisse Atellanas, fragmenta docent. Quaeritur tamen, num iam, quum ex tempore ederentur, actores numeris usi sint. Supra iam ostendi, e veterum testimoniis apparere, vel in ipsis Italicae poeseos initiis numerum quendam licet rudem et incompositum adhibitum esse, quod quum vel in iocis iuvenum temere iactatis factum sit, ut e Livio VII, 2 scimus, quid impedit, quominus statuamus, etiam postea, quum fabulis Atellanis consererentur, versibus plerumque Saturniis,

178) Horat. Epist. II, 3, 244 sqq.:

silvis deducti caveant, me iudice, Fauni,
ne, velut innati triviis ac paene forenses,
aut nimium teneris iuvenentur versibus unquam,
aut immunda crepent ignominiosaque dicta:
offenduntur enim quibus est equus et pater et res;
nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
aequis accipiunt animis donantve corona.

Cf. De L. Pomp. p. 37: „Equidem censeo, Horatium, quomodo drama satyricum „recte institueretur, ostendisse, ut Romanis huius dramatis imitationem pro mi„mis et Atellanis commendaret, qui ludi tunc contrario malo laborabant. Mimi „enim tenero quodam et molli sermone, quo iuvenes comti et mulierculae uti so„lebant, redundabant et nimis forum urbemque redolebant; Atellanae contra im„mundis et ignominiosis dictis horrebant, quibus plebs (fricti ciceris et nucis „emtor), ut facile intelligitur, gaudebat; viro contra erudito, qui Graecae poe„seos dulcedinem degustaverat, tales ludi nullo modo placere poterant, et pru„dens drama satyricum laudat Horatius, quippe quod mira quadam gravitatis et „ioci temperantia ad capiendas et eruditorum et plebis aures sane maxime esset „idoneum. Faunos silvis deducendos suadet, quippe plebi Satyris familiariores, „ut videlicet patrii dii in scenam deducti proprii Atellani dramatis damnum quo„dammodo resarciret. Cf. Eichstädt de dram. comico-satyrico p. 78."

aut si qui alii erant similes, actores usos esse? Post Livium demum Andronicum poetae Graeca metra imitantes numerorum elegantia et varietate delectabant, unde evenit, ut Pomponius et Novius in Atellanis suis eadem metra in usum vocarent, quae palliatarum auctores adhibere solebant. Iam quum Atellanarum scriptores etiam in versuum struendorum licentia a ceteris scenicis poetis, qui ante Augusti aetatem scripserunt, non differrent, non possumus cum iis stare, qui perperam e Mario Victorino[179]) colligunt, eos in senariis iambicis componendis trimetra iambica satyrica Graecorum imitatos esse. Iam olim enim probavi[180]), verba: „quod genus nostri in Atellanis habent," non ad metri, sed ad poeseos satyricae speciem, quam videlicet cum Atellana more Grammaticorum comparet, referenda, et quae sequuntur: „gaudent autem trisyllabo pede et maxime tribracho" de Graecis versibus solummodo dicta esse. Nam proprius et liberior iamborum componendorum modus, quo usi sunt veterum Romanorum et tragici et comici, et quem secuti etiam Atellanarum poetae sunt, ut patet e fragmentis, hoc tragicorum, satyricorum et comicorum versuum discrimen plane tollit, et versus, quem Mar. Vict. exempli causa affert, quum nullo modo ex Atellana desumptus esse possit, vel a Grammatico, ut saepe fit, fictus, vel aliunde petitus est. E fragmentis intelligimus, praeter senarium iambicum tetrametrum trochaicum maxime in usu fuisse; tetrametrum vero iambicum cat. appetivisse Atellanarum poetas, quippe iocosis motibus congruentem gestibusque agentium satis accommodatum, testes habemus Terentianum Maurum[181]) et Marium Victorinum[182]). In canti-

179) De iamb. metr. II p. 2527 ed. Putsch.: „Superest Satyricum, quod inter tragicum et comicum stilum medium est. Haec apud Graecos metri species frequens est sub hac conditionis lege, ut non heroas aut reges, sed Satyros inducat ludendi iocandique causa, quo spectatoris animus inter tristes res tragicas relaxetur, quod Horatius his versibus testatur (Epist. II, 3, 220 — 224), quod genus nostri in Atellanis habent. Gaudent autem trisyllabo pede et maxime tribracho, exemplo huius:

Musae Iovem laudate et agiles flate choros."

180) De L. Pomp. p. 33.

181) Terent. Maur. de metr. p. 2486 Putsch.:

„frequens in usu est tale metrum comicis vetustis:
„Atella, vel quis fabulis actus dedit petulcos,
„quia fine molli, labile atque deserens vigorem
„sensum ministrat congruentem motibus iocosis."

182) Mar. Vict. de iamb. metr. p. 2527 Putsch.: „Tetrametrum cat. Atellana-

cis probabile est, etiam aliis metris, ut bacchiacis, creticis et quae sunt similia, scriptores usos esse.

Atellanas refertas fuisse iocis, irrisionibus, ludibriis, ridiculisque cuiuscunque generis, non est, quod moneam. De genere tamen iocorum deque modo irridendi pauca addenda sunt. In universum credendum est, tantum abfuisse, ut elegantibus semper salibus studerent, ut protervitate et lascivia infrenata, qua eruditorum virorum aures non raro offenderent, insignes fuissent. Tamen quis neget, iocos istos, licet fuerint rudes et rusticorum more iactitati [183]), vera quadam vi comica vel palliatarum saepe sales, aliunde plerumque petitos ideoque Romano ingenio destitutos, superasse. Hinc factum est, ut non plebi solum placerent, sed eruditi etiam viri interdum scurrilibus istis iocis delectarentur, quod de Sulla ex Athenaeo VI, c. 17 p. 566 ed. Schweigh. scimus et vel Horatio Messi Cicirrique scurrarum pugnam iucundo fuisse oblectamento, ipse profitetur Sat. I, 5, 70. Et profecto quis nostrum tam morosus est, cuius risum ludicra ista, qualia vulgaria theatra praebent, non interdum moveant?

Atellanae praeterea eo, quod cum maiore licentia civium vitia tangebant et ne principibus quidem parcebant, fere censorio munere fungebantur, in hac re non dissimiles priscae Graecorum comoediae. Iam antiquissimis temporibus ne nominibus quidem abstinuisse actores videntur, unde quemquam in scena nominari postea legibus vetitum esse credo [184]). In hac re fragmentum notatu dignum est e Pomponii Auctorato apud Charis. I p. 37:

neque ego Memmius,
neque Cassius, neque sum Mimatius Ebria,

„rum scriptores appetiverunt; est enim iocosis motibus emollitum gestibusque „agentium satis accommodatum, quale illud:
trahuntque magnis navitae clamoribus carinas."

183) Concedit hoc ipse Pompon. Aleon. apud Non. rustic. p. 166, 30 et tangere p. 408, 33:
at ego rusticatim tangam, urbanatim nescio.

184) Auct. Rhet. ad Herenn. I, 14, II, 13. Hac spectat fortasse, quod Euanthius tradit: „Etenim per priscos poetas non ut nunc penitus ficta argumen„ta, sed res gestae a civibus palam cum eorum saepe, qui gesserant, nomine „cantabantur. Ideo ipso suo tempore moribus multum profuit civitatis, quum „unusquisque caveret, culpa ne spectaculo ceteris esset et domestico probro."

ubi tres, ut videtur, suo tempore famosos nebulones nominatim tangit. Seriori tamen tempore, praesertim sub Imperatoribus, periculosum erat, tam aperto modo homines notatu dignos populi risui tradere; itaque castigabant tecto modo ambiguis plerumque dictis, saepe gestibus et vultu, non solum homines inferiorum ordinum, sed adeo principes, ut Suetonius exemplis nonnullis egregiis comprobat. Tiberium narrat[185]) frustra Mallioniam quandam ad turpem amorem pellicere conatum esse. Quam perductam et quidquam amplius pati constantissime recusantem, delatoribus obiecit, ac ne ream quidem interpellare desiit: ecquid poeniteret, donec ea, relicto iudicio, domum se abripuit ferroque transegit, obscenitate oris hirsuto atque olido seni clare exprobrata. Unde nota in Atellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta percrebuit: Hircum vetulum capreis naturam ligurrire. Haec et similia effecerunt, ut Imperator apud Senatum de immodestia histrionum referret: Oscum quondam ludicrum levissimae apud vulgum delectationis eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum sit coercendum. Pulsi tum histriones Italia[186]). Caligulam Atellanae poetam ob ambigui ioci versiculum media Amphitheatri arena igni cremasse, idem Suetonius tradit[187]). Facete Datus etiam, Atellanarum histrio, Neronem parricidam notare ausus est, qui in cantico quodam: ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum C. Claudii Agrippinaeque significans, et in novissima clausula: Orcus vobis ducit pedes, Senatum gestu notaret[188]). Etiam invito poeta aut actore spectatores saepe locos ad res sive personas ob similitudinem quandam, quae forte intercedebat referebant, ut, quum Galba, ut Suetonius tradit[189]), Romam veniret proximoque spectaculo appareret, Atellanis notissimum canticum exorsis: „Venit io Simus a villa, cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt ac saepius versu

185) Suet. Tib. 45.

186) Tacit. Annal. IV, 14.

187) Calig. 26.

188) Ner. 39.

189) Galb. 13.

repetito egerunt, sub Simo, avaro videlicet sene, cum magno familiae moerore domum reverso, Galbam significantes Romanis ob avaritiam invisum. Lepidum denique iocum in Imperatorem Antoninum Philosophum servavit Iul. Capitolinus [190]. „Crimini enim Antonino datum est, quod adulteros uxoris Fau„stinae promoverit, Tertullum et Utilium et Orphilum et Mo„deratum ad varios honores, quum Tertullum etiam pranden„tem cum uxore deprehenderit, de quo mimus in scena prae„sente Antonino dixit, quum stupidus nomen adulteri uxoris a „servo quaereret et ille diceret ter Tullus et adhuc stupidus „quaereret, respondit ille: „iam dixi ter, Tullus dicitur.“ Etsi hic non diserte Atellanam fuisse fabulam dicit, tamen quin fuerit, vix dubitandum est iam eo, quod stupidi mentio fiat, qui, ut puto, Maccus sive similis Osca persona fuit.

Quum ne principibus quidem Atellani parcerent, manifestum est, eos eo minus etiam haesitasse, privatos homines invadere et ridicule illos describere, quorum mores populo risui essent. Exemplum praebet Iuven. VI, 71:

> Urbicus exodio risum movet Atellanae
> gestibus Autonoes; hunc diligit Aelia pauper,

ad quem locum recte Rupertius haec adnotat: „Quod aiunt Ur„bicum gestibus saltasse fabulam Autonoes, quae fuit soror „Cadmi (Apollod. III, 4, 4, Hygin. Fab. 184) ineptiunt. Nam „neque Urbicus saltabat fabulas ut histrio, sed pronuntiabat ac „urbanitate iocisque populum detinebat, neque Autonoes tra„goedia ad movendum risum, sed nomen matronae confictum, „quam poeta vult adeo studiose gestum pronunciantis exodiarii expressisse, ut populum risu quateret.“

Nec personas solum Atellani tangebant, sed hominum etiam perversas opiniones nonnunquam perstrinxisse videntur, ut certe concludere licet e Cicer. de divin. II, 10, qui dicit, iure Atellanio versu totum fatum irrisum fuisse, et ex Horat. Sat. I, 1, 23:

> praeterea ne sic, ut qui iocularia, ridens
> percurram,

---

190) Anton. Phil. 29.

ubi hominum perversam rationem poeta tangit, qua licet sua sorte non contenti aliis diversa sequentibus invideant, tamen si quis deus morem gerere velit, insanis mutata fortuna, beati esse nolint. Nam interpretes Horatium hoc loco ad Exodia vel Atellanas alludere e voce iocularia, qua de eadem re utatur Liv. VII, 2, colligunt. Quamquam aliter sentit F. A. Wolf. ad h. l. dicens: „*Die Worte:* ut qui iocularia ridens, *gehen auf gewisse kurzweilige Erzähler, die im alten Italien, wie im neuern, auf öffentlichen Plätzen und Strassen Häuflein von Zuhörern versammelten, um sie mit ihren aretalogischen Possen aus dem Stegreife zu unterhalten. Um wirklich an auf der Bühne gegebene Lustspiele, gewisse Exodien oder Atellanen zu denken, dazu zwingt, ja reizt nicht einmal etwas.*" Sed quum haec tota descriptio dramaticam quandam speciem prae se ferat, non video, cur hic poetam potius narrantem quendam nugatorem, quam scurras nugas suas repraesentantes opinemur descripsisse.

Abundabant praeterea Atellanae omnis generis iocis, quos Macrobius Pomponium et Novium non raro dicteria nominasse tradit [191]. Inprimis amphibolias Atellani captabant, iocorum genus, quod omnino plebi acceptissimum esse solet; sed nimio ambiguitatum studio non fieri potuit, quin tales ioci saepe obscuritate laborarent, quod diserte Quinctilianus reprehendit [192]. Ambiguitates, ut totus ludi modus exigebat, circa obscenitates et turpes res plerumque et immundas versabantur, quarum vel in fragmentorum exiguitate multa exempla nobis praesto sunt. Amphiboliam continet etiam, quod Varro dicit, rusticos dicere in Atellanis se adduxisse pro scorto pelliculam. Lusus inest ambiguis vocibus scortum et pellicula, utraque enim corium sive pellem significat, utraque vero etiam mulierem impudicam; nam pellicula non solum a pelle, sed etiam a pellice derivari potest.

Aliud iocorum genus, quo saepe Atellani non sine effectu utuntur, id est, quod praeter exspectationem vocat Cic. de

191) Sat. II, 1.

192) Inst. VI, 4: „Inprimis autem ex amphibolia, neque illa obscura, quae Atellanae more captent, nec qualia vulgo iactantur."

Orat. II, 71. Eiusmodi exempli gratia est, quod legitur e Pomponii Adoptato apud Non. paribit p. 508:

si praegnans non es, — paribis nunquam.

Puella quaedam, quam ob causam nescio, se praegnantem non esse contenderat; alter dum respondet: si praegnans non es, exspectamus: tum res alia est, tum hoc vel illud fiet vel non fiet; sed praeter exspectationem ridicule addit: paribis nunquam. Simili modo uxor quaedam apud Pomp. Citharist. ap. Non. irascere p. 127, 7 questa est, quod maritus mori se vellet. Boni animi eam esse iubet vel maritus, vel quis alius: noli, inquit, quaeso, irasci; exspectamus verba lenia, iram permulcentia, sed quid sequitur?

more fit, suam moriri quisque ut uxorem velit.

Huc trahendum etiam est fragmentum e Pomponii Decuma apud Festum v. temetum

non multi temeti, sed — plurimi.

Vel iocus ille familiaris: sapiens, si algebis, tremes, quem Cicero loco supra citato tanquam exemplum affert, et qui interpretes non parum vexavit, e Novii fabula desumtus esse videtur. Pertinet enim, ut coniicio, ad illud fragmentum, quod servavit nobis e Novii Mortis et Vitae Iudicio Non. p. 479, 8:

et vobis otiosus sum, mi algebo, mi esuribo;

opprobrio cuidam ab amicis facto, quod otiosus sit, unde fore, ut nihil habeat, quo vivat, frigusque arceat, respondet: vobis otiosus sum etc. i. e. si otiosus vobis esse videor, damnum meum est, non vos algebitis, non vos esurietis, sed ego inertiae meae culpam luam; quid igitur otium meum ad vos adtinet? quid me reprehenditis? Cui alter: sapiens, inquit, si algebis, tremes; quod significat: quodsi res ita est, ut sapiens, contemto aliorum consilio et hortatione, algere velis — nihilominus sapiens tremes. Ceterum notandum, in illo Ciceronis loco nonnullos Mss. veteres pro Naevio Novio habere [193]).

Saepe non inficete παρονομασίαν adhibuerunt poetae, ut Pomp. Postib. apud Non. rumen p. 18, 15:

193) Gyrald. Dial. VIII p. 299: „vetusti nonnulli Codd. Novium, non Naevium scriptum habent."

ego rumorem parvi facio, dum sit rumen qui impleam;

id. Maial. apud Non. frustro p. 473, 17:

miseret me eorum, qui sine frustis ventrem frustrarunt suum;

et apud Non. revortit p. 476, 1:

coenam quaeritat,
si eum nemo vocat, revortit moestus ad moenam miser.

Captabant insuper figuras istas, quae iisdem litteris sive syllabis coacervatis constant, quasque allitterationem, annominationem et ὁμοιοτέλευτα nuncupant. Exempli gratia pauca tantummodo profero, nam plura dabunt fragmenta: Pomp. Macc. gem. apud Non. intui p. 470, 30:

incepi contui, conspicio coleatam cuspidem.

Novius Exod. apud Non. gallulare p. 116, 24:

cuius vox iam gallulascit, cuius ramus roborascit;

id. Ped. apud Non. rica p. 539, 20:

mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinum.

Porro gaudebant ridiculis circumscriptionibus; sic, ut exemplo utar, Pomponii Pannuceatus sedulitatem et industriam suam nimiam tali modo designat:

neque interim cacandi causa unquam incoxavi nate.

Pro eo, quod nos dicimus: hoc tantum infantes nesciunt, Pomponius habet:

sciunt hoc omnes, quantum est, qui cossim cacant.

Prae ceteris in circumscribendis rebus turpibus ingenio suo indulgent. Virile membrum Pomponius nominat coleatum equuleum, coleatam cuspidem, Terminum; Novius ramum, rutabulum. Alias nequitias praetermitto.

Denique iam olim in libello de L. Pomponio p. 52 ostendi, Atellanas proverbiis et sententiis ad vitam utilibus exornatas fuisse, cuius rei testis est Fronto ad M. Caes. II, 2, p. 159 ed. Mai., qui non inepte varias sententias in variis stili generibus tali modo describit: „vel graves ex oratoribus veterum sententias arriperetis, vel dulces ex poematibus, vel ex historia splendidas, vel comes ex comoediis, vel urbanas ex togatis, vel ex Atellanis lepidas et facetas,“ quarum

exempla fragmenta etiam praebent: Pomp. Asin. apud Non. auscultare p. 246, 15:

atque auscultare disce, si nescis loqui;

id. Ergast. apud Non. rarenter p. 164, 27:

longe ab urbe villicari, quo herus rarenter venit,
non est villicari, sed dominari mea sententia;

id Maial. apud Non. veget p. 183, 3:

animos Venus veget voluptatibus;

id. Praef. mor. apud Non. germanibus p. 118, 14:

si quis est
amico amicus, gaudet, si cui quid boni
evenit, cuius amicus est germanibus;

id. Satir. apud Prisc. VI p. 679:

cuiusvis leporis Liber diademam dedit;

id. apud Senec. Epist. VIII fin.:

quidam adeo in latebras refugere, ut putent in turbido
esse, quidquid in luce est;

Novius Decum. apud Non. impertibis p. 37, 22:

si ignotis impertibis, flebis facilius;

id. Exod. apud Non. rarenter p. 515, 24:

multum ames, paulum des crebro, venias rarenter;

id. Macc. apud Non. caseus p. 200, 9:

pecunia,
quid? bonum breve est, respondi, e Sardis veniens caseum;

id. Parc. apud Gell. XVII, 2:

quod magnopere quaesierunt, id frunisci non queunt;
qui non parsit apud se, frunitu'st.

Iocosis verbis accedebant iocosi motus et turpes gestus, quibus prae ceteris Atellanarum actores excelluisse scimus; itaque Tertullianus Atellanarum gesticulatorem cum Mimo et Pantomimo summam gratiam spurcitia concinnare dicit [194]). Risum extorquebant potissimum eo, quod in vultu componendo, ore

194) De Spectac. c. 17.

diducendo et corpore movendo omnem modum excedebant verbaque obscoena gestibus suis impudicis nimis accurate significabant mimorum more, quos ne imitentur, cavere iubent oratores Cicero et Quinctilianus [195]). Sannionum inprimis fuisse illud derisionis genus, quod sannam vocant, nomen ipsum probat. Sanna fit, quum ore distorto et labiis paululum extentis cum certo sibilo aer sorbetur [196]), vel naso crispato et corrugato [197]), vel dentibus denudatis, vel sexcentis aliis modis, quibus, ut recte monet C. O. Müllerus, antiquitas aeque abundabat, atque hodie Itali ceterique populi meridionales [198]). Summam Atellanarum autem in gestibus iocosis positam fuisse, manifestum est. Gestu saepe significabant, quod verbis exprimere non audebant, ut Datus ille apud Sueton. Ner. 39 Neronem parricidam demonstrans, et Urbicus apud Iuven. VI, 71 matronam gestibus suis populi risui exponens. Hinc recte Terent. Maurus de metris p. 2436 tales actus petulcos dicit [199]), quia petulantia et procacitate lacessebant, quod proprio nomine demonstrare vocabant [200]), quare lege cautum erat, ne histriones quemquam in scena vel nominarent, vel demonstrarent contumeliae causa. Neque isti actus muti scenicorum scurrarum, quos recentes Itali Lazzi appellant, veteribus ignoti fuisse videntur. Solent enim, ut Riccobonius tradit [201]), Sanniones nugis et ridiculis filum sermonum interdum interrumpere et ex suo ingenio actionibus mutis, risu et ioco plenis spectatores delectare. Exemplo rem illustrat. In fabula quadam consilium suum Scapinus praesente Arlechino cum Flaminia communicat. Utriusque sermo-

196) Cic. de Orat. II, 59: „Mimorum est ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscoenitas.“ Quinct. VI, 3: „Oratori minime convenit distortus vultus gestusque, qui in mimis videri solent. — Obscoenitas vero non a verbis tantum abesse debet, sed etiam a significatione.“

196) Iuven. VI, 306: „sanna, qua aer sorbetur.“

197) Pers. V, 91: „rugosa sanna.“

198) Archaeol. p. 417: „*Selbst die oft unanständigen und obscönen Hohngebärden* (sannae), *an denen der Süden im Alterthum ebenso reich war, wie in neuern Zeiten.*“

199) Atella vel quis fabulis actus dedit petulcos.

200) Suet. Aug. 45, Ner. 39.

201) Hist. du theatre Ital. Cap. VI, apud Less. *Theatral. Bibl.* II p. 193.

nem Arlechinus nugis suis interpellat, simulans modo, se e pileo cerasa sumta comedere, quorum nucleos Scapino in os coniicit, modo se muscas venari, quas captas alis pedibusque decerptis devorare fingit, et quae sunt alia huiusmodi. Alium lepidum eiusdem generis iocum memorat Guil. Müller l. c. II p. 112 sq.

Recte Stievius l. c. p. 58 notavit, Atellanos quodcunque Romanum esset, in usum suum convertisse, praeter sales tritos omnibusque notos, etiam carmina, si quae fuerint vulgaria aut recens composita inseruisse, testem laudans Sueton. Galb. 13, qui huiusmodi vulgati carminis initium memoriae prodiderit: „quare adventus eius (sc. Galbae) non perinde gratus fuit; idque „proximo spectaculo apparuit. Siquidem Atellanis, notissimum „canticum exorsis: Venit io Simus a villa, cuncti simul „spectatores, consentiente voce, reliquam partem retulerunt ac „saepius versu repetito egerunt [202].“ Fuerunt, qui ex hoc loco coniicerent, Atellanas agricolarum chorum habuisse [203]), quod nego, si talem chorum, qualem Graeca dramata ostenderint, statuere velis. Ante Pomponium enim et Novium ludus tam rudis fuit, ut de choro legitimo vix cogitandum sit, neque verisimile est, hos poetas praeter morem Atellanae, quam ad palliatae formam effinxerant, chorum addidisse. Neque tamen infitias ibo, interdum, si res ita tulerit, actores consentienti voce canticum quoddam egisse, ut in illa a Suetonio citata fabula, ubi familia redeuntis domini nuntium iocosa naenia excipit; quantum vero talis cantus a solenni choro distet, nemo non videt. Simili modo, ut ostendit Grysar l. c. p. 205 sq., in comoedia Epicharmea, etsi choro legitimo carebat, cantilenae quaedam cum saltatione coniunctae, non raro a turba histrionum edebantur, neque solum recens compositae, sed notae etiam, in ore omnium versantes, qualis erat Diomi bucoliasmus.

---

202) Ernest. ad h. l.: „Retulerunt, intelligo, voce, recitarunt clara „voce, praecinentes cantori; egerunt, gestibus etiam, histrionis modo ex„presserunt. Idem est, quod in Calig. 54, tragoedo pronuncianti concinere, et „gestum histrionis effingere.“

203) Stiev. l. c. p. 66.

Restat iam, ut aliquid de Atellanarum scena et scenico apparatu addamus. Patet ex iis, quae supra de argumento Atellanarum disputavimus, eas fere circa res rusticas versatas esse; itaque actores praecipue rusticos homines repraesentabant. Sed sub rure latiore quidem sensu non tantummodo agros et pagos intelligimus, sed oppidula illa, quibus Italia, inprimis Campania abundabat, municipia et fora, quorum incolae, ut solent oppidulani, urbanorum inepti aemuli, largam ridendi materiam offerebant. Non potuit igitur fieri, quin Romani, urbanitate sua non parum superbientes, male concinnos et ineptos horum hominum mores riderent. Quis enim Romanorum, ut exemplo utar, non risu rupisset, si quem candidatum, qualem Pomponii Cretula et Pappus praeteritus et Novii eiusdem nominis fabula ostendebant, viles municipii honores ambientem simili gravitate per omnes vicos vagantem, iisdemque artibus utentem, ac si Romanum consulatum peteret, vidisset? Iam supra ostendi, horum oppidulorum, quae ob ridiculos civium mores Romanis risui et ludibrio erant, Atellam tanquam exemplar fuisse, unde factum est, ut istae ridiculae personae, quibus in Atellanis partes erant, Atella ortae fingerentur, ut apud recentes Italos Zanni Bergamenses dicuntur. Inde tamen non coniiciendum est, scenam semper Atellae fuisse, licet primariae personae Atellanae fuerint, sed, ut certe tituli fabularum servati demonstrant, scenae locus aeque mutabilis erat, ac fabularum argumenta, sicut hodie etiam in Italorum similibus fabulis. Actio enim aut in agro fiebat, ut in Pomponii Agricola, aut in Oppido, ut in Pappo praeterito, in Cretulo, in Aedituo aliisque[204]. Oscas personas vel patria relicta nonnunquam inter exteros introductas esse, patet e titulis, ut Pomponii Macco exule. Neque video, quid impediverit, quominus ridiculas istas personas vel Romam transtulerint, quum earum rusticitas urbanorum hominum elegantiae opposita inprimis iocosa apparere debuerit. Hinc Atellana quodammodo cum fabula togata coniuncta est, unde facile fieri potuit, ut Pomponius etiam togatarum scriptor haberetur[205].

---

204) De L. Pomp. p. 54.

205) Schol. Hor. Cruqu. p. 632 ed. 1611: „Praetextatas et togatas scripserunt Ael. Lamia, Antonius Rufus, Cn. Melissus, Afranius, Africanus, Pompo-

De scenico apparatu acturus primum de personis, quibus usi sunt Atellani, dicendum est. Recte Stievius notavit [206]), personarum usum ante Livium Andronicum Romanis iam notum fuisse; vestigium enim personarum iam apud antiquos agricolas invenitur auctore Virg. Georg. II, 388:

oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,

ad quem locum Servius haec habet: „quia necesse erat, pro ra-„tione sacrorum aliqua ludicra et turpia fieri, quibus posset po-„pulo risus moveri. Qui ea exercebant, propter verecundiae „remedium hoc adhibuerunt, ne agnoscerentur, ut personas „factas de arborum corticibus sumerent.“ Hinc verisimile est, iuvenes Romanos etiam in suis lusibus, in Fescenninis et postea in Atellanis personas usurpasse. Quum deinde a Livio Andronico Graecum drama in scenam introductum esset, iuvenes de hoc iure suo histrionibus peregrinis cedere nolebant, itaque Graecarum fabularum actores praeter morem Graecum prohibiti sunt, quominus personis uterentur. Labente tamen tempore histriones etiam per abusum personis uti coeperunt, cuius rei testes sunt Donat. Fragm. de com. et trag., qui dicit, personatos primos egisse comoediam Cincium et Faliscum, tragoediam Minutium et Prothonium, et Diomedes III, p. 486, qui prodit, Roscium Gallum, quum antea galeris, non personis usi essent, ut qualitas coloris indicium faceret aetatis, quum essent aut albi, aut rufi, aut nigri, persona primum uti coepisse, quod oculis obversis esset (Cic. de Nat. deor. I, 28), nec satis decorum in personis, nisi parasitus pronuntiaret. Egregie defenditur haec sententia loco Festi s. v. Personatus: „Personata fabula „Naevii inscribitur, quam putant quidam primum actam a per-„sonatis histrionibus; sed cum post multos annos comoedi et „tragoedi personis uti coeperunt, verisimilius est, eam fabulam „propter inopiam comoedorum actam novam per Atellanos, qui „proprie vocantur personati, quia ius est iis, non cogi in scena „ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse est.“

nius.“ — Pro Cn. Melissus scribe Cai. Melissus, ut apud Suet. de illustr. Grammat. c. 21. Africani nomen, ortum videlicet ex antecedenti Afranio ab hoc togatarum scriptorum ordine removendum censeo.

206) L. c. p. 21 sq.

Quo ex loco recte colligit Stievius[207], longe ante Roscium Atellanarum actores personatos prodiisse, sed postrema Festi verba minus recte explicat, dicens: „Equidem paulo negligen-„tius Festum scripsisse puto, et non cogi in scena ponere „personam significare: Atellani cogi non poterant, ut sine per-„sonis agerent, ut personas ponerent fabulam acturi, quum in „aliis ludis eas adhiberent: ceteri histriones sine personis age-„bant. Hoc modo omnia bene conveniunt, nisi ultima verba: „quod ceteris histrionibus pati necesse est, iterum incu-„riam librariorum aut Festi prodant. Nescio an Festo in men-„tem venerit pravus quidam mos Romanorum, quo mimos spe-„ctantes iubere solebant, pulcras saltatrices vestibus depositis „nudas saltare. Si vero hunc morem in animo habebat ille „scribens, res confudit, et Naevii temporibus tanta libidine ur-„bem certe vacasse credo, quamquam Val. Max. II, 10, 8 M. „Catone vivente hunc morem priscum dicit.“ Festi sententia, quam sane paulo negligentius expressit, sive potius excerpsit, haec est: Naeviana quaedam fabula personata dicta est, quia ab Atellanis est acta, Atellani vero Naevii tempore personati dicti sunt, quia tum soli personis utebantur; nunc vero etiam, i. e. eo tempore, quo Verrius Flaccus vixit, sive quem alium exscripsit Festus, proprie personati vocantur, licet ceteri quoque histriones personati prodeant, quia ius est iis non cogi personam ponere, quod ceteris histrionibus pati necesse est. Discimus igitur ex hoc loco, Atellanos primum solos egisse personatos, postea vero etiam ceteros histriones personas sibi assumsisse, quas tamen populo iubente ponere coacti erant, quod Atellani e iure suo non debebant.

Personarum usus cohaesisse videtur cum Atellanorum iure, quo expertes rei ludicrae neque tribu movebantur, neque prohibebantur, quominus stipendia facerent[208]. Quod ius Niebuhr[209]) vindicat etiam Praetextarum et Togatarum actoribus, motus fortasse testimonio Schol. Iuven. ad Sat. I, 3[210]): „co-

207) L. c. p. 24.

208) Liv. VII, 2; Val. Max. II, 4, 4.

209) Hist. Rom. I, p. 543, not. 1028.

210) In Iuvenalis Satiras commentarii vetusti ed. Cramer.

„moediae autem vel tragoediae, quae a Latinis scriptae sunt, „togatae ideo dicuntur, quia propter vestis istius usum etiam a „senatoribus agebantur diebus sacris. Sic etiam Graecae co- „moediae vel tragoediae palliatae dicuntur, sive a vestis ipsius „usu, sive quia ita plerumque viri nobiles egerunt. Satiras „autem legimus egisse Roscium et Lentulum nobiles, item toga- „tas Latinas comoedias, quia et personas et memoriam Lati- „nam habent.“ Sed cum Stievio facio, qui rem in dubium vocat [211]), quum Livius et Val. Max. apertis verbis confirment, iuvenes Romanos solas Atellanas sibi vindicasse ceteris fabulis histrionibus relictis, et Atellanarum solummodo actores nota vacuos neque tribu moveri, neque a militaribus stipendiis repelli. Sensim tamen mores Romanorum mutati sunt, neque porro turpe habebatur, in scenam prodire populoque esse spectaculo. Iul. quidem Caesar primus fuisse videtur, qui equitem Romanum, Laberium, contra morem avitum publice agere coegit; Augustus quoque ad scenicas et gladiatorias operas aliquando equitibus Romanis usus est, priusquam senatusconsulto interdiceretur [212]), et ex iuventute utriusque ordinis profligatissimus quisque, quominus in opera scenae arenaeque edenda senatusconsulto tenerentur, famosi iudicii notam sponte subibant [213]), neque Neronem puduit, personatum tragoedias cantare et operam inter scenicos dare [214]). Iam ut ceterae fabulae per Romanos agi coeperunt, ita Atellanae ad histriones transiisse videntur. Tiberii certe aetate Atellanae iam histrionibus relictae esse videntur, ut patet e Tacit. Annal. IV, 14, qui tradit, histriones Italia pulsos esse, quod Tiberius ad Senatum retulerit, Oscum quondam ludicrum eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum sit coercendum. Datus etiam, qui Neronis tempore vixit, Atellanarum histrio dicitur [215]), et coram Trimalchione emti Comoedi Atellanam faciunt [216]). Atel-

211) L. c. p. 60.

212) Suet. Aug. 43, Dio LI, 2.

213) Suet. Tib. 35.

214) Suet. Ner. 21.

215) Suet. Ner. 39.

216) Petron. Sat. 53 ed. Burm.

lanus gesticulator matronis Romanis viliori pretio visus est, quam tragoedus et comoedus, ut nos docet Iuven. Sat. VI, 71:

Urbicus exodio risum movet Atellanae
gestibus Autonoes: hunc diligit Aelia pauper,

ad quem locum Rupertius notat: quum Atellanus non cecinisset, sicut tragoediarum et comoediarum actores, qui matronis divitibus magno solverentur, magno sumtu opus non fuisse ad Atellanos refibulandos. Sed errat, quum putet, Atellanos non cecinisse. Imo cecinerunt etiam, ut discimus e Suet. Ner. 39 et Galba 13, sed ob maiorem artem et altius studium, quod tragoedia et comoedia agenda requirebat, quam Atellana, vulgi tantummodo delectatio, tragoedi et comoedi a divitibus matronis petebantur, Atellani contra, tanquam viles nugatores a nobilioribus contemti, pauperibus feminis, quae morem, qui tum erat, histrionum amorem capessendi, sequi quoque vellent, facilius venibant.

De ornatu Oscarum personarum veteres nihil nobis tradiderunt. E figurarum e Ficoronio supra descriptarum altera apparet, celceamento eas usas esse a socco et cothurno diverso, Oscis fortasse proprio; altera nudatis pedibus incedit, ita ut pro planipede haberi possit. Altera humili penula tegitur; penularum usum confirmat etiam locus Pomponii Pannuc. apud Non. penula p. 537, 3:

paenulam in caput
induce, ne te noscat;

amplum pallium, supra gremium collectum alteram involvit. Atellanos togatos etiam prodiisse, colligi potest e fragmento Pomponii Patruo apud Non. tutant p. 476, 10:

non erat, quod corpus tremulum famula tutaret toga.

De capite stupidorum abraso, nec non de mimorum centunculo et clava scirpea iam supra locuti sumus.

Iam quum quae de Atellanis e veterum testimoniis et reliquiis erui possunt exposuerimus, notionem, ut omnia breviter complectamur, huius dramatum speciei ita definire volumus, ut dicamus: Atellanas fuisse fabulas Latinas e Campania Romam petitas, primum ex tempore a iuventute Romana sine nota post tragoedias insertis variis iocis et dicteriis editas, deinde Pom-

ponio Novioque praeeuntibus litteris compositas et doctas, in quibus Oscis similibusque personis, ut Macco, Bucconi, Pappo et Dossenno partes fuerint. Hinc poterimus comparatione facta Atellanas a similibus fabulis, quales sunt togatae, palliatae, mimi, nullo negotio discernere. Iam primum id tenendum est, has, quas modo nominavi fabulas, nunquam ex tempore editas esse, sed semper fuisse, qui talia dramata componerent, quae histriones docerent. Iam palliatae fabulae Graecae originis plerumque e Menandri, Diphili, ceterorumque novae comoediae scriptorum fabulis in Latinam linguam licet magna cum licentia convertebantur, ut Prologi Plauti Terentiique probant, itaque personae, locus, argumentum, mores, ornatus scenicus, ceteraque Graeca erant[217a]. Fabulae togatae forma quidem vix a palliatis differebant, multaque in his e Graecis quoque mutuati sunt auctores[217b], a palliata discernebantur tantummodo eo, quod personas argumentumque Roma petiverant. Palliatae fabulae erant Graecae in Romanorum linguam, togatae insuper in Romanorum mores vitamque translatae. Itaque palliatae circa Graecorum, togatae urbanorum, Atellanae rusticorum humiliumque hominum mores versabantur. Iam mimus omnium dramatum proxime Atellanis videtur accessisse. Natus enim erat mimus in Italia inferiore Siciliaque, itaque iam origine sua affinis quodammodo dici potest Atellanae fabulae. Mimi erat, mores diversissimorum hominum ad vitam fere repraesentare. Fabula quidem et huic dramatum generi erat, ea tamen tam simplex, ut argumentum nihil nisi vinculum esset, quo personae partes agentes continerentur[218]. Mimus enim ei dramatum

217a) Cf. G. A. Becker de comicis Romanorum fabulis p. 56 sqq.

217b) Constat hoc inprimis de Afranio, togatarum scriptorum principe, e Macrob. Sat. V, 1: „Afranius, togatarum scriptor, in ea togata, quae Compitalia inscribitur, non inverecunde respondet arguentibus, quod plura sumsisset e Menandro:

sumsi, inquit, fateor, ab illo non solum modo,
sed ut quisque habuit, conveniret quod mihi,
quodque me non posse melius facere credidi,
etiam a Latino."

Cf. etiam Horat. Epist. II, 1, 57: „Dicitur Afrani toga convenisse Menandro."

218) Euanth. de Trag. et Comoed.: „Mimos ab diuturna imitatione vilium rerum et levium personarum."

speciei adnumerandus est, quam nostri *Charakterstücke* dicunt, et iam supra ostendi, Atellanam nonnisi Campanum mimum, uti Satiram Romanum mimum fuisse. Itaque mimus, qui proprie ita dicitur, ab Atellana ita fere differebat, ut non eas, quas Atellana Oscas scilicet, sed similes personas ostenderet stabiles, Sicilia potissimum vel Italia inferiore ortas, quod recte demonstravit Grysar de Doriens. Comoed. p. 250 sqq.: „Huius autem „comoediae praestantia, quum non tam in historia aliqua bene „pertexenda, quam in personarum quarundam indole atque mo- „ribus accuratissime describendis esset posita, fieri non potuit, „quin quae personae vel descriptionis veritate, vel indolis suae „iocositate spectatorum animos maxime delectassent, repetita „poetarum pertractatione saepius in scenam inducerentur. Nimi- „rum id ita fieri potuit, ut fabulae argumento prorsus immutato „eadem persona vel ab eius inventore, vel ab alio quopiam „poeta denuo exhiberetur. Quin etiam nonnullae inter perso- „nas eiusmodi videntur fuisse, quibus tam laeta contigit specta- „torum comprobatio, ut in quamvis fere fabulam denuo intro- „ductae illis, quas statas comoediae personas nunc dicere con- „suevimus, adnumerari queant. Huiusmodi autem personarum „aliquot descriptionem felicissimam primum iam Epicharmum „tentasse scias, siquidem in paucissimis eius reliquiis bina tamen „earum exempla deprehenduntur. Altera igitur est persona ho- „minis ebrii, — altera parasiti. Quae quidem parasitorum per- „sonae adeo in hominum deliciis erant, ut ceteris omnibus „amissis parasitum tamen suum homines illi usque ad tempora „nostra servaverint. Etenim nomine tantum et vestitu immu- „tato etiamnum in Siculorum et Italorum theatris iocatur et „vociferatur parasitus.“ Hinc facile intelligi potest, qui factum sit, ut Atellana mimo cesserit. Nam Oscis personis fere idem accidit, quod ante hos centum annos in patria nostra ridiculae personae, cui *Hanswurst* nomen est. Auctore enim Gottschedio, qui Franco-Gallorum imitationem contemtis vernaculis nugis commendabat, ridicula illa persona Germanis propria Lipsiae theatro pulsa et solenni funere oblivioni tradita est. Nihilominus tamen, licet maiora theatra abstinerent, in humilioribus plebis delectationi dedicatis spectaculis porro etiam partes habuit et habet ad hodiernum usque diem vel ipsa *Hans-*

wurst, vel quae sunt similes personae, ut *Casperl*, *Staberl*; recentissimis demum temporibus poeta non ignobilis ausus est denuo has statas personas petito quidem nomine et charactere ab Eulenspiegelio, scurra Germanorum notissimo, vel in elegantiores comoedias introducere. Iam idem fere, ut dixi, Romae factum est, ut, quum Ciceronis et Caesaris temporibus viros Graecis litteris imbutos inelegantium nugarum Macci, Bucconis ceterarumque Oscarum personarum taederet, mimi, quales Laberius et Publ. Syrus elegantibus dicteriis et sermonis puritate Graecis aemulantes composuerunt, pro Atellanis in scenam inducerent[219]. Itaque ex hoc inde tempore Atellanica ars Romae diu iacuit, ut Macrobius tradit[220], quam Tiberii demum aetate Memmius denuo suscitavit[221], ita tamen, ut mimum scena non omnino extrusisse videretur; nam promiscue de utraque dramatum specie apud scriptores sermo est. Iam quum tempore labente mimi, ut totum dramaticum genus, a prisca elegantia abiissent et in vilem plebis delectationem mutati essent, et Atellanae favore et iure, quo antea usae sunt, privatae, etiam ab histrionibus ederentur, non fieri potuit, quin utraque species coalesceret, Oscis praesertim personis, ut videtur, saepe cum aliis mutatis. Palliatae quidem fabulae et togatae sensim etiam mimis cesserant, unde iam Antoninus Philosophus queritur, suo tempore novam comoediam ad mimicam solam artem recidisse[222].

Superest genus dramatum, cum quo Atellanae et a veteribus et a recentioribus scriptoribus saepissime comparatae sunt, drama Satyricum Graecorum. Iam olim de hac inepta comparatione egi in libello de L. Pomp. p. 31 sqq. Longe alia horum poeseos generum ratio est, et quod iam veteres Grammatici ea inter se compararunt, non tam interna quadam similitudine, quam externa, quae casui potius debetur, factum esse apparet. Quam parum sani et accurati fuerint tales homines in compa-

219) Cic. ad Fam. IX, 16.

220) Macrob. Sat. I, 10.

221) Macrob. l. c. cf. de L. Pompon. p. 45.

222) M. Anton. de rebus suis XI, 6: *καὶ λοιπὸν ἡ νέα κωμῳδία ἡ κατ᾽ ὀλίγον ἐπὶ τὴν ἐκμιμήσεως φιλοτεχνίαν ὑπεῤῥύη.*

randis poeseos generibus, vides e Diomed. p. 487, qui togatas palliatis, praetextatas tragoediis, tabernarias comoediis, Atellanas satyricis, planipedia mimis parum, ut liquet, considerate opponit, et quam male ipsi cognoverint hanc Graecam poeseos speciem, non tam propria, ut debuissent, lectione, quam aliorum testimoniis, exemplum est Mar. Victor. de iamb. metr. II, p. 2527 ed. Putsch.: „Haec apud Graecos metri species frequens „est, sub hac conditionis lege, ut non heroas aut reges, sed Sa„tyros inducat ludendi iocandique causa, quo spectatoris animus „inter tristes res tragicas relaxetur, quod Horat. his versibus „(Epist. II, 3, 220 — 224) testatur, quod genus nostri in Atel„lanis habent." Refutat has nugas vel unicum drama satyricum, quod nobis superest, Euripidis Cyclops, in quo Ulysses, rex et heros, partes habet, et Horatius ipse eo loco, quem testimonii causa citat v. 227 sqq.:

ne quicunque deus, quicunque adhibebitur heros,
regali conspectus in auro nuper et ostro,
migret in obscuras humili sermone tabernas.

Verum quidem est, in his rebus sibi utrumque genus fuisse simile: quod post tragoedias edi solebat; quod certis quibusdam personis usum est, quamquam in dramate satyrico non tam personae non mutabantur, quam chorus; quod ceteris dramatibus brevius erat; quod rure natum erat; quod nomen denique quandam similitudinem praebebat, nam Atellanae et Satirae Romanae tanquam Latina genera nonnunquam confundebantur. Iam vero si ab his, quae modo recensuimus, similibus, quippe levioris momenti, recesseris, haec genera inter se sunt dissimillima. Satyri mores quidem agrestes ostendebant, non vero rusticos et humiles, ceteraeque personae, in tragoedia quoque obviae, eo discernebantur, quod minus tristi fato tenebantur et hilariori Satyrorum consuetudine utebantur. Horum nihil in Atellana, cuius erat rus describere intra vulgaris vitae fines, quapropter iure ad comoediarum genus refertur.

Eiusdem opinionis etiam Stievius est, qui p. 63 haec habet: „Inveniuntur certe in utraque dramatis specie quaedam similia, „quae et Diomedem, more Grammaticorum circumspicientem, „cui potissimum poemati Graeco Atellanas compararet, in illam

„sententiam induxerunt. Diomedi et Mario tertium illud quod „dicunt comparationis argumenta et dicta iocularia fuerunt, et „hanc similitudinem neque ego negandam puto, existimans, Sa-„tyrica dramata iocorum genere propius ad Atellanas, quam ad „Mimos et comoedias accessisse. Ceterum illa, quae inter tra-„goediam et comoediam media erant, etiam castitate hanc et „Mimos superasse mihi videntur, Euripidisque Cyclops, quae „sola ex hoc genere aetatem tulit nostram, quamquam obscoe-„nitate non caret, tamen temperatur Ulyssis persona et ipsi „Satyri gratae potius voluptati, quam libidini dediti sunt. Huic „temperantiae bene respondet Italica gravitas Atellanarum[223]). „Pari modo deinde Atellanae et Satyrica dramata originem de-„bent ludis agricolarum. Tum in his semper apparent Satyri, „in illis plerumque idem personarum genus. Satyri, numina „ruralia, per omnes actus ruri, in montibus, silvis et speluncis „versabantur. Atellanas praecipue homines rusticos retulisse, „iam supra docui. — Haec autem omnia, quae attuli, ad ex-„ternam potius conditionem utriusque fabularum speciei perti-„nent, quam ad naturae aequalitatem, quae certe, hoc enim „demonstrari posse confido, nulla erat. Quod vero meum non „esse iudico, hoc loco recoquere intricatam de natura et fine „dramatum Satyricorum quaestionem, quam inde a Casaubono „usque ad Genthium, novissimum de hac re scriptorem, multi, „suo quisque modo, tractaverunt: illud solum in discrimen vo-„cabo, quod inter omnes fere convenit, dramatis Satyrici argu-„menta *μυθικά* esse, personasque tragicas, heroes et reges, „quorum fortuna adversa paulo ante spectatorum animos com-

223) Timeo, ut in hac re verum viderit, tertium illud comparationis a Mario et Diomede in temperantia iocorum positum putans. Mario quidem comparationis momentum est, quod utrumque drama post tristes res tragicas ad relaxandum spectatoris animum editum sit: „haec, inquit, apud Graecos metri species frequens est sub hac conditionis lege, ut non heroas aut reges, sed Satyros inducat ludendi iocandique causa, quo spectatoris animus inter tristes res tragicas Satyrorum iocis et lusibus relaxetur, — quod genus nostri in Atellanis habent.“ Diomedi tertium comparationis est, quod statas personas inducat. Satyricum drama Satyros, Atellana Oscas personas: „Latina Atellana a Graeca Satyrica differt, quod in Satyrica fere Satyrorum personae inducuntur, aut, si quae sunt ridiculae similes Satyris: Autolycus, Burris; in Atellana Oscae personae, ut Maccus.“ Fragmenta enim Atellanarum de tali temperantia et castitate iocorum, qualem Satyrica dramata praebent, quorum personae severitatem quandam etiam in iocando exigebant, cogitare non vetant.

„movisset, hic apparere, humilibus petulantibusque personis co-
„mitantibus, in ridiculis et comicis vitae conditionibus, ut, quo-
„modo in vita, sic etiam in theatris severa et iocosa in eorun-
„dem heroum fatis coniuncta videantur. Atellanis contra cum
„tragoediis nihil quidquam commune erat; argumenta non pete-
„bant ex fabulis deorum et heroum, sed ex vita rustica, et
„loco Promethei et Ulyssis prodibant Maccus et Bucco et si
„qui similes. Et denique, si omnis vis et propria Graeci dra-
„matis natura sita est in personis Satyrorum, ut, iudice Her-
„manno (Opusc. I, 45, cf. Welcker in Add. ad Trilog. Aeschyl.
„Francof. 1826, p. 326) his sublatis ipsum drama Satyricum tol-
„latur, quo tandem abit illa aequalitas, cum ipse huius compa-
„rationis auctor Diomedes III p. 788 dicat, in eo positam esse
„utriusque dramatis differentiam?"

Neukirchius quidem Romanis vindicat etiam drama Satyricum, sed levibus admodum argumentis nisus [224]). Primum censet, non verisimile esse, eos hoc tam celebratum apud Graecos fabularum genus intactum prorsus reliquisse. Sed, ut illud omittamus, quod non solum hoc, sed alia etiam genera, ut priscam et mediam comoediam, ut in lyrica poesi dithyrambicum genus et carmina doricae speciei, non imitati sunt, ne locus quidem dramati Satyrico in scena fuit. Erat enim drama Satyricum tragoediarum exodium post trilogiam tragicam repraesentatum, quod e sacrorum ratione apud Graecos fere necessarium erat. Iam scimus, ex eadem causa apud Romanos iuvenes versibus alternis sese invicem lacessentes histriones tragoedias agentes in scena secutos esse, cum quo ludo deinceps Atellana fabula coniuncta est. An dicamus, eos pro Atellana interdum drama Satyricum dedisse? Nesciremus, quid tum eos impedivisset, quominus sine nota in tragoediis ipsis, sive in palliatis ceterisque fabulis Graecis agerent. De fabulis Atellanarum scriptorum, quarum argumentum ex historia mythica tractum tituli probant, iam supra nonnulla protulimus, mox plura dabimus.

Veterum testimonia de dramatibus Satyricis apud Romanos diserta desunt omnino, nam quae Neukirchius comprobantia

224) De Fabulis togatis p. 18 sq.

habet, valde dubia sunt. Primum enim errat, quod Sullam Satyricorum dramatum scriptorem facit, Athenaei loco commotus, qui VI, p. 261 C e Nicolao prodit, L. Sullam σατυρικὰς κωμῳδίας τῇ πατρίῳ φωνῇ composuisse. „Omnes fere, inquit, „hic significari putant fabulas Atellanas, alius alia ratione „ostendere conans, qui Atellanae Satyricae dici potuerint. Sim„plicissimum tamen est Satyricas pro eiusmodi fabulis haberi, „in quibus Satyri fuerint repraesentati, ut in Graecorum dra„mate Satyrico. Neque illud nos offendere potest, quod Saty„ricae hic comoediae dicuntur. Nam etsi plerumque tragoediis „potius adnumerantur, tamen natura earum talis fuit, ut etiam „comoediae dici potuerint.“ Potuissent quidem comoediam dicere, sed non dixerunt neque Graeci, neque Romani, iique eo minus, quod drama Satyricum choro, quo erat necessarie instructum, a comoediae variis generibus, quae Romae vigebant, differebat. Simplicius igitur, quam quod Neukirchio simplicissimum videtur, est, si Sullam Satirarum dramaticarum scriptorem facimus, quales iam ante Ennium in scena Romana exstitisse et vel Sullae tempore Pomponium, Atellanarum scriptorem composuisse scimus[225]; quod comoediae genus ab Atellana tum parum discrepasse videtur et melius nugatoribus (γελωτοποιοῖς) et mimis, quibus, ut idem Athenaeus tradit, Sulla ita gavisus est, ut eos publicis agris donaverit, conveniebat, quam drama Satyricum, apud Graecos saltem a tragoedis, uti scimus, actum. Certo Athenaeus σατυρικὰ δράματα dixisset, si significare voluisset, Sullam dramata satyrica scripsisse, quod vero σατυρικὰς κωμῳδίας dicit, patet, eum aliud voluisse. Nimis tribuere videtur Neukirchius voci σατυρικάς, quam si de scriptis Latinis dictam invenimus, eodem vel maiori iure a Satira, quam a Satyro derivabimus. Dionysius Halicarn. iocos et cantus militum triumphantem ducem sequentium κέρτομον καὶ σατυρικὴν παιδιάν vocat; nemo tamen cum Dionysio hos ludos e dramate Satyrico Graecorum desumtos esse contendet, sed melius hos iocos cum Satiris comparabit, quales olim in scena edebantur. Et fac, L. Sullam sive quem alium dramata Satyrica composuisse, inde tamen nondum sequitur, ea etiam in

225) Cf. de L. Pomp. p. 55 et 92. Casaub. de sat. poes. II p. 195.

scena fuisse repraesentata. Nam notandum est, seriori potissimum tempore, viros eruditos interdum conatos esse, Romanis antea intacta poemata Graecorum imitari. Sic verbi causa e Plinio scimus, Verginium Romanum comoedias Aristophaneas scripsisse [226]; sed de talibus, tanquam doctorum ludis, a populo ut patet alienis, nullo modo hic sermo esse potest.

Neque magis ille versus e Mario Victorino IV p. 2591 laudatus, quem, unde petierit nisi e fabula Satyrica nescit Neukirchius:

agite, fugite, quatite, Satyri,

quidquam comprobat. Saepe enim fingebant Grammatici versus, quos exempli gratia proferrent, aut alios undecunque petitos in suam rem mutabant. Quis enim sibi persuadeat, eum versum, quem Mar. Victor. II p. 2527 citat ad probandum in trimetro Satyrico gavisos esse poetas trisyllabo pede et maxime tribracho:

Musae Iovem laudate et agiles date choros,

ex Atellana desumtum esse? Item nemo non videt, eum versum, quem citat ad demonstrandum, tetrametrum cat. trochaicum ab Atellanarum scriptoribus appetitum esse, quia metrum iocosis motibus emollitum, gestibusque agentium satis accommodatum sit:

trahuntque magnis navitae clamoribus carinas,

ex Horatii versu Carm. I, 4, 2:

trahuntque siccas machinae carinas,

fictum, non ex Atellana depromtum esse.

Argumentum, quod e Vitruvii descriptione theatri Romani petit, etiam nihili est. In Vitruvio enim de Archit. V, 6 haec leguntur: „Genera sunt scenarum tria: unum, quod dicitur tragicum, alterum comicum, tertium satyricum. Horum ornatus „sunt inter se dissimiles, quod tragicae deformantur columnis, „fastigiis etc., comicae aedificiorum privatorum habent speciem, „Satyricae vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reli„quisque agrestibus rebus, in τοποειωδῆ speciem deformatis.“ E quo loco Neukirchius haec concludit: „De Romani theatri

226) Cf. Iul. Held: *Ueber den Werth der Briefsammlung der jüngern Plinius in Bezug auf Geschichte der röm. Literatur* p. 31 sq.

„scena Vitruvium hic loqui, si quae antecedunt et quae sequun-
„tur inspexeris, non poteris, quin tibi persuadeas; quodsi in „theatro Romano scenam Satyricam fuisse constat, probabile „est, Romanos etiam fabulas Satyricas habuisse.“ Equidem non nego, de Romani theatri scena Vitruvium hic loqui, sed quod inde, quod in theatro Romano scena Satyrica fuerit, Neukirchius concludit, Romanos etiam fabulas Satyricas habuisse, fallitur. Vitruvius, tria genera scenarum describens, e tribus dramatis Graeci speciebus ea denominat, quia tragica scena plerumque in tragoediis, comica in comoediis, Satyrica in Satyricis fabulis adhibebatur. Sed harum scenarum usus non ita comparatus erat, ut in tragoedia tantum tragica scena, in comoedia comica, in Satyrico dramate satyrica uti liceret, sed aliud argumentum aliam scenam requirebat. Sic exempli gratia vel apud Graecos in Philoctete Sophoclis edendo scenae, quam vulgo tragicam dicunt, columnis, fastigiis, templis ornatae usus esse non potuit, sed hic scena Satyrica aptior apparet, et quum Romae Plauti Amphitruo ederetur, certo, licet esset comoedia, tragica scena usi sunt. Iam quum apud Romanos etiam multarum fabularum sive tragoediarum sive comoediarum argumenta agrestem desiderabant scenam, non mirum esse potest, Satyricam scenam, quae nihil aliud est, nisi agrestis, a Vitruvio commemorari. Frequentissimus Satyricae scenae usus in Atellanis fabulis esse debebat, quia, ut supra ostendi, horum ludorum argumentum fere circa res rusticas versabatur. Caveamus igitur, ne praepostere e Satyricae scenae usu apud Romanos colligamus, eos etiam dramata Satyrica habuisse.

De Horatii loco Epist. II, 3, 220 sqq. quem Neukirchius ad opinionem suam probandam profert, iam supra locutus sum, ubi ostendi, Horatium hic Satyrici dramatis imitationem Romanis pro nugis, quas post tragoedias edere solerent, commendare, quod ipse annuere videtur v. 225:

verum ita risores, ita commendare dicaces
convenIet Satyros . .

Faunos pro Satyris introducendos suadet, ut Latina Satyrica respondeant quodammodo praetextatis et togatis, quae dramatum genera ipse probat v. 286. Profecto non veritus esset, Satyricorum poetas contra leges poeticas peccantes nominatim

tangere, quum vel celeberrimis in tragoedia et comoedia nominibus non parcat; pro eo tamen, tantummodo tradit, quomodo ipse, si sumsisset sibi Satyrica dramata scribere, opus institueret.

Leviter etiam Neukirchius argumentum, quod e silentio Grammaticorum contra drama Satyricum Romanorum peti possit, his verbis refellere conatus est: „Grammatici quidem Lati-„ni, quum de fabulis scenicis loquuntur, aut omittunt Satyri-„cam, aut ita eius mentionem faciunt, ut tantum de Graecorum „dramate cogitare videantur. Sed iidem Grammatici etiam alii „alias fabulas praetermittunt, Trabeatam omnes, ut inde nihil „concludi possit, nisi non magnum fuisse apud Romanos Satyri-„carum numerum.“ Sed quod dramata Satyrica cum Atellanis compararunt, ut Diomedes III, 487, Mar. Victor. II p. 2527, Mar. Plot. p. 2646, patet eos non ex oblivione non commemorare dramata Satyrica, sed non invenisse apud Romanos alia dramata, quae Satyricis opponerent, quam Atellanas. Certo enim non praetermisissent, imitationis tam celebris dramatum generis mentionem facere, quum alibi avide fere omni occasione utantur ostendendi, Romanos in omni poeseos genere Graecorum aemulos fuisse. Trabeatam in recensendis fabularum generibus omittunt, quia ad togatarum genus pertinebat [227]), et sane videtur haec species, tanquam Grammatici figmentum, in scena aut nunquam, aut brevi solummodo tempore, nec cum magno plausu statisse; imitatores enim, quantum ego scio, Cnei. Melissus, Trabeatarum inventor, non habuit.

Neque id Neukirchio concedere possumus, ex adiecto τῇ πατρίῳ φωνῇ apud Athenaeum concludi posse, non magnum fuisse Satyricorum dramatum numerum apud Romanos, et Athenaeum sic de Latinis Satyricis tanquam de re extraordinaria loqui. Notum est, multos Romanos Graece aeque ac Latine scripsisse, et verisimile est, L. Sullam, quem Sallust. Iugurth. c. 95 litteris Graecis ac Latinis iuxta atque doctissime eruditum dicit, et quem Plutarchus in vita Sullae versus fecisse tradit, quum Athenas obsideret, utraque lingua usum carmina compo-

227) Suet. de illustr. Grammat. c. 21: „Fecit et novum genus Togatarum, inscripsitque Trabeatas.“

suisse, unde adiectum τῇ πατρίῳ φωνῇ apud Athenaeum explicandum erit.

Iam quum ex his, quae hucusque disseruimus, pateat, drama Satyricum Romanis non posse vindicari, non possumus Atellanarum scriptorum fabulas, quarum tituli ex historia mythica tracti sunt, cum Neukirchio pro dramatibus Satyricis habere. Ad Rhinthonicum genus potius ea refero, quod cum aliis dramatum generibus in scena Romana vigebat. Probat hoc vel unicum huius generis drama, quod nobis servatum est, Plauti Amphitruo, et testantur Grammatici [228]). Ridicula conversio tragicarum rerum apud Siculos et Italiae inferioris incolas iam ex antiquissimis temporibus exstitit, neque invenit Epicharmus mythicarum rerum ridiculam descriptionem, sed primus fuit, qui eam excolebat. Eum deinde etiam Comicos Atticos et veteris et mediae comoediae secutos esse, scimus [229]). Duplex huius generis fuisse modus videtur: in altero enim res et personae per se tragicae in comicas mutatae sunt ita, ut poeta vel ridicula fabularum mythicarum elementa amplecteretur, vel tragicam aliquam historiam in partem omnino contrariam inverteret. In qua specie dii et heroes partes agentes ipsi et sermone, gestu, ornatu, totaque denique actione risum movebant. Itaque iure hanc speciem comoediam dixerunt, qualis fuit Epicharmea illa, de qua modo diximus. Alter modus e coniunctione tragoediae et novae comoediae natus est. Tragicis enim personis cothurnatis ridiculae personae e comoedia desumtae, servi inprimis, parasiti et si qui alii scurrilitate insignes erant, immiscebantur, inde hanc speciem hilarotragoediam sive tragicocomoediam nuncupabant, in qua summa vis comica in contrarii connexione posita erat. Quae species a Rhinthone, sive inventore, sive principe huius dramatis nomen Rhinthonicae fabulae nacta est [230]). Facile est intellectu, qui factum sit, ut Romani

228) Euanth. de Trag. et Com.: „illud vero tenendum est, post νέαν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protulisse — ut Rhinthonicas ab actoris (fort. auctoris) nomine.“ — Donat. Fragm. de Com. et Trag.: „comoedia multas species habet: aut enim palliata est — aut Rhinthonica.“ — Ioh. Lydus de Magistr. I, 40: „ἡ μέντοι κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτά, εἰς παλλιάταν — Ῥινθωνικήν.

229) Grys. l. c.

230) De Rhinthone eiusque fabulis nuper docte disseruit Rud. Lorentz in Dis-

hanc Rhinthonicam speciem illi Epicharmeae praeferrent. Epicharmi fabulae, quum Romae ludi scenici in deliciis esse incepissent, vel apud Graecos iam scenam deseruisse videntur; comici autem Romani temporum morumque ratione habita recentissimos quosque imitari malebant; itaque novam Graecam comoediam mediae et priscae, Rhinthonicas fabulas Epicharmeis praeferebant; neque mirandum est, has fabulas scurrarum nugatorumque iocis insignes plebi Romanae magis placuisse, quam Epicharmi sales elegantiores.

Iam Atellanarum scriptores hanc Rhinthonicam speciem colentes coniicio, ut iam supra annui, pro servis comicis e nova comoedia Graecorum petitis, Oscas personas introduxisse, qua re eos ob spectaculi novitatem et maiorum harum personarum cum diis heroibusque differentiam omnino comicum, ut aiunt, effectum mirum in modum auxisse, probabile est. Cuius rei licet veterum testimonia afferre nequeam, tamen, quin ita fuerit, vix dubito.

Recenseamus nunc eas fabulas, quae ob titulum aut Rhinthonicae habitae sunt, aut haberi possunt. Citatur primum a

---

sertatione de Rebus sacris et artibus veterum Tarentinorum p. 26 sqq. Dabimus ex hac, quae maxime pertinent ad hanc speciem melius cognoscendam: „Appel„labatur Rhintho φλύαξ vel φλύαρος, Steph. Byz. Τάρας et Eustathius ad Dion. „Perieg. 376, quippe ἀρχηγὸς φλυακογραφίας, Suid. Ῥίνθων. — Stephani ex„plicatio eo egregie firmatur, quod φλύακες τραγικοὶ in Nossidis epigrammate „Rhinthoni tribuuntur, quo item spectat hilarotragoediae sic dictae, nomen „phlyacographiae synonymum apud Suid. l. c., nihil enim aliud illi φλύακες sive „hilarotragoediae fuisse videntur, quam tragoediae in ridiculum conversae, nos „dicimus Travestie, cf. Cuperi observ. p. 76 sq. Patet simul, cur hilarotragoe„dia admodum sera exstiterit. Müller. Dor. Tom. II p. 364; oportebat enim et „tragoediam et comoediam omnino excultam esse et absolutam, quod factum est „Euripidis et Aristophanis aetate Olymp. LXXX — XC, antequam novum dra„matum genus ad artis legem constitutum, tragica argumenta comoediae instar „tractans in scenam prodiret. Paulo igitur ante Rhinthonem initia sua tragoedia „habuit. — Non negaverim fuisse quoddam in hac comoedia elementum mimi„cum. — Abiit indoles mimica ex ipsa patria ad colonos Tarentinos, augebatur „deinde et incitabatur Dionysii sollemnibus, quibus neque hilarotragoedia origi„nem suam non debuit; Müller. Dor. p. 348. — Rhinthonis φλύακες vera erant „dramata, Müller. Dor. II p. 365. — Ferebantur apud veteres Rhinthonis fabu„lae 38; Steph. Τάρας, recteque vocat has fabulas tragicas et comicas Suid. s. v. „Ῥίνθων, quod tragicum argumentum comicorum ratione tractatum erat. — „Laudantur Amphitruo, quam fabulam nescio an Plautus Rhinthone paulo minor „ante oculos habuerit scripturus; quod ipse dicit in prologo v. 59 tragicocomoe„diam; non aliud praeter hoc simile argumentum tractavit poeta Latinus (aliter „nunc, ut spero, sentiet Lorentz), Hercules Iphigeniae duae, Orestes, Tele„phus, Meleager servus.“

Nonio voc. expergiscere p. 473, 3 Pomponii Agamemnon suppositus, cuius fragmentum iam manifesto demonstrat, fabulam tragoediam non fuisse. Ex adiecta voce suppositus coniicere licet, in hac fabula quendam Agamemnonis personam mentitum esse. Fortasse ita finxit poeta fabulam, ut Agamemnon Clytaemnestrae perfidia comperta servum vestibus regiis ornatum sibi supponeret, quo dolo uxorem insidias struentem ipse falleret. Ceterum fragmentum:

ne quis miretur, quum tam clare tonuerit,
ut si quis dormitaret, expergisceret,

e prologo mihi desumtum videtur, spectatoribus exponenti, quid futurum sit. Quod addit: ut si quis dormitaret, tectius tangit spectatores in theatro dormientes, ut apertius Plaut. Poen. Prol. 21:

diu qui domi otiosi dormierunt, decet,
animo aequo nunc stent, vel dormire temperent.

De Atreo Pomponii, quem citat Non. v. notifico p. 144, 22 dubitari potest, num sit nostri, an potius Pomponii Secundi, quem scimus e Charisio [231]) fabulam, cui titulus erat Coena, scripsisse, cuius argumentum, ut puto, epulas Thyestis continebat. Quod si fuit, tragoedia Pomp. Secundi Atreus sive Coena inscripta erat. Fragmentum, quod affert Nonius:

nunc te obsecro,
stirpem ut evolvas, meorumque genus notifices mihi,

certe tragoedia non respuit.

Pomponii Marsyam, quem Arnob. adv. gentes II p. 43 ed. Stewech. vulgo memoria obsignatum dicit [232]) cum Eberhardio [233]) potius nostro, quam Pomponio Secundo adscribam. Arnobius enim vanam et perniciosam hominum doctrinam perstringens, Fornicem Lucilianum et Marsyam Pomponii memoria eos obsignatum dicit, id est, res futiles et turpes pro bo-

231) Charis. I p. 107 Putsch.: „humile de homine aliquo, ut Pomponius Secundus in Coena: ex humile rege.

232) „Quia per casus et tempora declinare verba scitis et nomina, quia vo-„ces barbaras soloecismosque vitare, quia numerosum et instructum composi-„tumque sermonem aut ipsi vos nostis efferre, aut incomptus quum fuerit, scire, „quia Fornicem Lucilii et Marsyam Pomponii obsignatum memoria „continetis."

233) *Zustand der schönen Wissenschaften zu Rom*, p. 71.

nis et honestis. Possumus igitur eo, quod Marsyam Pomponii cum Fornice Lucilii coniungit, concludere, utriusque carminis argumentum similitudinem quandam habuisse et circa res obscoenas versatum esse. Sub Marsya enim nescio, an potius statua illa Romae exstructa, ad quam meretrices convenire, quamque coronis ornare solebant[234]), quam tibicen ille, Apollinis aemulus, intelligi debeat. Quae si recte conieci, patet, Marsyam non tragoediam Pomponii Secundi, sed Atellanam L. Pomponii eamque impurissimam fuisse.

De Novii fabulis Rhinthonicae speciei adnumerandis haec habeo. A Nonio accus. pro genit. p. 495, 24 citatur Novii Erisaces, pro quo Bothius Eurysaces dedit, quod iam edd. Pariss. habent, quamque fabulam Rhinthonicam putat. Sed, ut equidem censeo, errori debetur librarii, qui ex antecedentibus Accius Eurysace: reprime parumper vim citatum quadrupedum, oculorum lapsu post vocem Novius Eurysace iteravit. Itaque fragmentum quidem:

millia
sex numûm in arcam demisi numariam,

Novio non abiudico, titulum vero fabulae, e qua locus desumtus, hoc librarii errore intercidisse puto.

De Novii Paulo apud Non. celere p. 530, 9 res valde dubia est. Merceri ed. habet Novius Paulo, ed. Ven. et edd. Pariss. Naevius Paulo, in margine Pacuvius, Laurenb. Antiqu. p. 75 Naevius Pullis. Bothius Poet. scen. Lat. Vol. V Part. II p. 45 de Novii Paulo haec profert: „neque alii carmi„num generi sc. Rhinthonico adnumerandae videntur ipsius No„vii fabulae, quae inscriptae sunt Phoenissae, Picus (rex „Aboriginum), et Paulus, in quo Paulo intelligam Paulum „Aemilium, Persei, regis Macedonum, victorem μεταῤῥυθμιζό„μενον εἰς γελοῖον, ut harum fabularum duae posteriores fuerint „Ῥινθωνικαὶ ἐξωτικαί, ut loquitur Ioan. Lydus de Magistr. Rom. „I, 40, h. e. Rhinthonicae togatae, prima autem, cuius Phoenis„sae argumentum, eiusmodi palliata. Quae duo diversa fabula„rum genera non distinguens Osannus Anal. crit. p. 69 sqq. male

234) Serv. ad Virg. Aen. IV, 58 et III, 20: „ad hanc statuam noctu conveniebant etiam meretrices, quaestum corpore facientes, et capiti eius corollas imponebant;" cf. Senec. Benef. VI, 32 et Plin. Hist. nat. XXI, 3, 6.

„turbat, scribendum esse contendens Ῥινθωνικὴ ἡ ἑξαμετρική, „quo nihil inutilius fingi potest." Non audeo, Bothio assentiri, praesertim quum fragmentum, quod e Paulo superest:

nunc tete obtestor, celere sancto subveni
censori,

comici nihil redoleat; itaque, dum argumenta probabiliora praesto fuerint, potius cum Scaligero facio, qui ad Varr. de L. L. VI, p. 68 ed. Durd. fabulam fragmentumque Pacuvio tribuit, quem Delrio etiam secutus est.

De Pico Novii etiam dubitari potest, num fabula a Pico, rege Aboriginum, an potius ab ave pico nomen sortita sit, quod etiam Neukirchio placet[235]). E fragmento nihil concludi potest. Quodsi igitur pro certo demonstrari non potest, apud Romanos togatas Rhinthonicas exstitisse, Bothium in explicando Lydo sequi non possumus, sub Ῥινθωνικαῖς ἐξωτικαῖς Rhinthonicas togatas fabulas intelligentem. Nisi lectio ἡ ἐξωτική corrupta et pro ea fortasse scribendum sit ἡ ἡρωϊκή, nam quod Osannus corrigit ἡ ἑξαμετρική nimis a vero recedit, sub voce ἐξωτική Lydum dicemus significasse argumentum mythicum a comoedia per se alienum, circa quod Rhinthonica fabula versabatur[236]).

Restant iam igitur Novii duae fabulae solummodo, quas Rhinthonicas fuisse et tituli et fragmenta probant. Andromache et Phoenissae. Fragmentum, quod ex Andromache Novii servavit Servius in Virg. Georg. I, 266:

quod tu, mi gnate, quaeso, ut in pectus tuum
demittas, tanquam in fiscinam vindemitor,

verba, ut mihi videtur, Andromachae ad filium continet, secretum quoddam consilium proferentis. Lector etiam me non monente facile intelliget, comparationem pectoris cum vindemitoris fiscina a tragoedia abhorrere. In Phoenissarum loco apud Fest. v. scirpus:

235) De fab. togat. p. 55: „Novius a pico ave fabulae inscriptionem petere „potuit, et quidem eo facilius, quod haec avis in fatidicarum numerum re„ferebatur."

236) Aliter Lang. Vind. trag. Rom. p. 51, assentiente Müllero Dor. Tom. II p. 365 commode extraneum dici posse putat illud comicae poeseos genus, quia in Graecis theatris exhiberi solitum sit, Romae publice non ederetur.

sume arma, iam te occidam clava scirpea,

iocose certamen fratrum Eteoclis et Polynicis introduci videtur, quorum alter alterum non gladio, sed clava scirpea invadit[237]).

Cuius argumenti Memmii Atellana Iunius inscripta fuerit, quam citat Charis. Inst. Gramm. I p. 118[238]), pro certo dicere non possum. Casp. Barthio Iunius Brutus fabulae nomen dedisse videtur[239]). Tragoediam eam non fuisse, iam eo constat, quod Charisius eam diserte Atellanam dicit, neque propterea eam Rhinthonicam eius generis, quam Bothius togatam vocat, habeam. Coniicio, si quidem de Iunio Bruto fabula egit, materiam argumenti desumtam fuisse ab itinere Tarquiniorum quod Delphos fecerunt, quorum, ut ait Livius I, 56, ludibrium verius, quam comes fuit Iunius. Versus, quem citat Charis. l. c. significat fortasse anguem illum e columna lignea elapsum, qui regem tam anxiis curis implevit, ut filios ad Delphicum oraculum mitteret, teste Livio l. c.

Finem faciamus disquisitioni nostrae de Atellana fabula historiam huius dramatum generis scriptorumque, qui illud excoluerunt, exponentes. Quum iam hic quoque parca tantummodo veterum testimonia nos adiuvent, lectorem non offendet, si saepius quid verisimile, quam quid verum sit, reperiet. Iam in historia Atellanarum fabularum exponenda tres potissimum aetates statuere nos rerum ratio iubet, quarum priorem ab origine huius dramatis ad Pomponium Noviumque, alteram ad Memmium sive Mummium, tertiam ad interitum tum huius, quum totius artis scenicae definimus.

Ostendi iam supra, Atellanam in patria sua Campania nihil fuisse, nisi mimum, in quo agricolae Campani primarias partes habuerint. Quando ludus ipse in Campania natus sit, quales progressus habuerit, traditum nobis non est. Id certum esse

---

237) Phoenissas scripserunt etiam Graeci comici poetae, ut Strattis apud Athen. IV, 160 B, XIX, 621 F et Aristophanes apud Athen. II, 62 D, III, 90 A, IV, 154, apud Polluc. X, 119, 155, VII, 199, apud Suid. ἀκαλήφη.

238) „Testu ut genu Flav. Caper veteres ait dicere solitos: Mummius in Atellana Iunius:

ad spectacula est videre in testu, quantum sit caput."

239) Advers. IV, 5: „Loquitur Mummius de insigni portentosoque animali, quod quum vivum dari non posset, ad spectacula eius traducta sit calvaria. Iunius autem Atellanae nomen est, Brutus puto alioqui inscriptae."

videtur, litteris fabulas mandari non solitas esse, sed iuvenes Campanos subitis dicteriis et nugis iocatos esse, ridiculos popularium suorum mores imitantes. Inde saepius agendo Oscae illae personae, ut Maccus, Bucco, Pappus, et si qui alii erant scurrilitate insignes ortae sunt. Iam Romae ludorum scenicorum rudimenta in iocis, quibus festivo tempore post sacra peracta iuventus delectabatur, quaerenda sunt. Ludiones ex Etruria ad pestem avertendam acciti ad tibicinis modos saltabant, quos deinde simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus iuvenes imitabantur. E quibus iocularibus iuvenum cum Etrusca saltatione et cantu ad tibicinem coniuncta Satira originem cepit. Post aliquot annos Livius Andronicus a Satiris primus fabulam docere ausus est histriones. Cum arte histrionum simul ordo histrionum ortus est, qui quippe peregrinus et servituti obnoxius Romanis contemtui esse coepit. Itaque abstinebant iuvenes Graeco dramate, quum vero ipsi theatro fugari nollent, post fabulas actas prodierunt inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitantes. Quae ob id ipsum exodia inde appellata sunt. Tamen rudis, ut erat, ludus nimis discrepabat ab artificioso histrionum fabularum actu, inde certamen quoddam ortum est, quo iuvenes histrionibus quodammodo aemulantes moti sunt, ut fabulae Graecae similem fabulam opponerent. Adibant igitur vicinos Campanos, a quibus Oscas illas personas fabulamque Atellanam depromserunt. Quo factum est, ut inculta antea altercatio in fabulam mutaretur, cui iocularia antea temere iactitata artificiosius intexebantur. Quaeri potest, quo tempore Atellana fabula Romam migraverit. Annum certum nescio, id tamen pro certo affirmare possum, iam ante annum 450 U. Atellanos actores Romae fuisse. Discimus hoc e Festi loco voce Personatus: „Personata fabula Naevii inscribitur, — verisimilius est, eam fabulam propter inopiam comoedorum actam novam per Atellanos.“ Unde manifestum est, Atellanam non ita diu post Livium Andronicum, vel iam vivente eo Romam translatam esse. Livius enim primam fabulam docuit 513 a. U., mortuus fertur post 530, Naevius vero fabulas dedit primas anno 519[240]), mortuus est anno 550[241]).

240) Gell. XVII, 21.
241) Cic. Brut. 15.

Quae causa fuerit, quod Oscum ludorum genus arriperent, docemur a Valerio Maximo II, 4, 4, qui hos ludos Italica severitate temperatos dicit. Non bene tamen viri docti intellexerunt, quid illa Italica severitas sibi velit. Omnes fere interpretes, etiam Stievius[242]), severitatem illam in iocorum temperantia ponunt, non considerantes, Atellanas fabulas, quantum vel ex exiguis fragmentis et veterum testimoniis[243]) scimus, non modo ceteris fabulis obscoenitate et licentia iocorum dictorumque non cessisse, sed fere eas superasse. Ut de tragoediis taceam, quarum severitatem Atellanae iam ob materiam utriusque fabulae diversam non attingebant, quis ex iis, quae de argumentis iocisque Atellanarum disseruimus, non intelliget comparatione facta palliatas, quales prae ceteris Terentius scripsit, dictorum severitate morumque honestate longe Atellanas praestare? Quae quum ita sint, patet, Stievium perperam ob temperatos iocos Atellanas cum dramate Satyrico Graecorum comparare, nec videmus, qua ex causa rudes Campani rustici minus obscoeni minusque infrenati in iactandis iocis fuerint, quam elegantiores Graeci. Severitas igitur illa Italica, quam laudat Valerius Maximus, non referenda est ad honestos et moderatos iocos, quibus Atellani usi sint, sed ad actores ipsos. Scimus enim, quantopere Graeci histriones, saltatores, tibicines, ceterique huius generis homines ob mores nimis corruptos despicatui fuerint, ita quidem, ut tanquam pestilentia vel honestissimam purissimamque rem contagio corrumpere putarentur. Iuvenes igitur Romani Graecarum fabularum actum non ideo histrionibus relinquebant, quod mores turpes et inhonestos fabulae ostendebant, sed quod verebantur, ne fabulas ab histrionibus contaminatas agentes hac ipsa re a populo gregi turpi et infami histrionum immiscerentur. Quod Livius ipse annuit, dicens, iuvenes Romanos cavisse, ne Atellanae ab histrionibus polluerentur. Ob id ipsum fabularum Atellanarum actores nota vacui erant, licet obscoenissimis turpissimisque dictis et iocis

242) L. c. p. 61.

243) Tacit. Annal. IV, 14: „Oscum quondam ludicrum levissimae apud vulgus delectationis.“ Tertull. de spect. c. 17: „ita summa gratia eius (theatri) de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atellanus gesticulator — repraesentat;“ id. de pallio c. 4. Arnob. adv. gent. VII p. 238 ed. Stewech.

refertae fuerint. Itaque Italica severitas Atellanarum opposita est Graecorum peregrinorumque histrionum licentiae, quam severitatem tam diu servabant, quam diu histrionibus polluere Atellanas non passi sunt [244]. Huc accedit etiam, quod omnino amabant inter nugas iocosque sententias vitae utiles et sapientiam vulgarem prodentes proferre, id quod supra ostendi et quod Seneca de cognatis generibus togatarum et mimorum laudat, etiam de Atellanis dictum opinemur [245].

Sic Atellanae per multos annos in scena steterunt, tamen, ut videtur, favore eruditorum hominum non nimis gaudentes, qui arte et praestantia Graecarum fabularum magis tenebantur. Quo factum est, ut palliata fabula post Livium Andronicum prae ceteris comoediarum generibus coleretur, praesertim quum viri et auctoritate et eruditione insignes, ut Scipio Africanus maior, Laelius, aliique huic maxime dramati faverent. Itaque fieri non potuit, quin Plauti, Caecilii, Terentiique palliatae summa cum arte compositae rudes Romanorum iuvenum ludos quodammodo obscurarent, qui nonnisi vulgum oblectasse videntur, ab eruditis vero viris omnino despiciebantur. Hinc facile potest intelligi, quomodo evenerit, ut qui de his temporibus tradiderunt ad unum omnes Atellanarum ne verbo quidem mentionem faciant. Romani deinde, quum potentissimis hostibus devictis, Carthagine et Corintho dirutis, sensim domesticos mores, antea ab omni peregrina contagione procul habitos, alienis assimilare inciperent; iam non abhorrebant, praetextatas togatasque personas pro palliatis in scenam producere. Inde nata est fabula praetextata Pacuvii, Attii, Titiique, et togata comoedia Afranii, Titinii et Attae. Neque mirandum est, deinde etiam scriptores periclitatos esse, rudem Oscum ludum arte mitigare, et Atellanas, quae ad hanc usque aetatem ex tempore

---

244) Idem sentit etiam Schober. de Exodiis p. 9: „Intelligitur, illam severi-„tatem Italicam quum ad ipsam ludi originem, tum ad morem illum antiquitus „institutum referendum esse, ex quo non nisi ingenuo loco nati in Atellanis par-„tes agebant. Opponit igitur Valer. Italicam severitatem graeculorum histrio-„num levitati."

245) Epist. 8: „quam multa poetae dicunt, quae a philosophis aut dicenda „aut dicta sunt. Non attingam tragicos aut togatas nostras, habent enim hae „quoque aliquid severitatis et sunt inter tragoedias et comoedias mediae. Quan-„tum disertissimorum versuum inter mimos iacet?"

a iuventute Romana edebantur, in modum palliatarum togatarumque litteris componere. Vix dubium esse potest, quo tempore et a quibus viris hoc factum sit. Commemorantur enim primi L. Pomponius et Novius Atellanarum scriptores, quos circa Sullanam aetatem vixisse, mox probabo. Verisimile est, ante hos viros neminem scribendis Atellanis operam navasse, quum veteres nihil de hac re nobis tradiderint; itaque iure eos auctores Atellanae scriptae habere possumus. Sed iam quaeri potest, uter in scribendis Atellanis prior fuerit. Disertum quidem de hac re testimonium non exstat, sed iam olim e Velleii loco II, 9, 5 [246]) ostendi, Pomponio inventionem Atellanae eius, quae post in scena florebat, vindicandam esse. Denuó ea, quae olim in libello de L. Pomponio de hac re dixi, prolixius nunc retractare, cogit me dissertatio Schoberi, quam contra meam sententiam anno 1831 scripsit [247]).

Primum omnium id tenendum est, esse demonstrationis historicae, quae raris saepe et vagis auctorum testimoniis nitatur, non quid verum, quod vel Oedipo vix contingat, sed quid e sana investigatione eius, quod traditum nobis fuerit, verisimile sit, evincere; itaque cavendum magnopere est, ne audacibus coniecturis rem per se obscuram etiam obscuriorem reddamus. Quod olim protuli, quodque nunc, nonnullis vel, ut mihi nunc videntur, rectius expositis, vel fusius explicatis, repetam, non pro eo, quod solum verum sit, vendam, sed lectori tanquam simplicissimum et verisimillimum proponam.

Iam ut de loco Velleii ipso disserere incipiamus, nemo non negabit, extra omne dubium positum esse, Velleium L. Pomponium Bononiensem, Atellanarum scriptorem, significare; sed quum non habeamus, quem alium denotasse Velleium dicamus, in hac nostra sententia perseverare cogimur. Velleius, ut recte observat Schoberus l. c. p. 4, in recensendis claris viris non temporum solum, sed studiorum etiam ordinem servat, quum primo loco oratores, secundo poetas, tertio denique rerum

246) „Sane non ignoremus, eadem aetate (sc. Sisennae) fuisse Pomponium, sensibus celebrem, verbis rudem, et novitate inventi a se operis commendabilem.“

247) De loco Velleii Paterculi, qui legitur II, 9, scripsit Carol. Ernest. Schober, Philos. Dr. — *Schulprogramm des Neisser Gymnasiums* 1831.

scriptores ponat. Cui virorum clarorum recensioni addit: nunc non ignoremus, eadem aetate fuisse Pomponium etc., non ut Schobero videtur, negligentius repetens nomen, quod suo loco dare oblitus sit, sed seorsim laudans tanquam novi operis inventorem, quum ceteri tritam oratorum, poetarum, historicorum viam incederent. Iam investigemus, quis Pomponius ille fuerit, cuius inventum opus laudat Velleius. Gens clara Pomponiana Plebeiae originis ad Pomponem Numae filium ortum referens in quatuor dividebatur familias: Matho, Molo, Flaccus, Rufus [248]). M. Pomponii tribuni plebis, qui L. Manlio Dictatori diem dixit 393 a. U. meminerunt Liv. VII, 4 Cicer. Off. III, 31. Ab anno Urbis 521, quo M. Pomponius Matho cum Q. Fabio Maximo Verrucoso consul erat, ad consulares referebatur. Praetorem M. Pomponium nominat Liv. XXII, 7, et augurem et decemviri loco creatum eundem, ut videtur, M. Pomponium Mathonem XXIX, 38. Eiusdem forte libertus erat mimus C. Pomponius, cuius meminit Festus p. 254 ed. Lindem.: „salva res est, dum cantat senex, quare parasiti „Apollinis in scena dictitent, causam Verrius in L. V, quorum „prima est P littera, reddidit. Quod C. (f. P.) Sulpicio, C. „(f. Cn.) Fulvio Coss. (543 a. U.), M. Calpurnio Pisone Pr. „Urb. faciente ludos, subito ad arma exierint, nuntiato adventu „hostium victoresque redierint in theatrum solliciti, ne inter„missi religionem adferrent instaurandique essent, inventum „esse ibi C. Pomponium libertinum mimum magno natu, qui „ad tibicinem saltaret, itaque gaudio non interruptae religionis „editam vocem nunc quoque celebrari." M. Pomponii, qui praetor fuit C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Coss. a. 593, meminit Suet. de Rhet. 1. Circa tempora, de quibus Velleius l. c. sermonem facit, hi fere Pomponii innotuerunt. Primum Cn. Pomponius orator, quem Cicero Brut. 49 aequalem C. Cottae, P. Sulpicii, Q. Varii, C. Curionis, L. Furii, M. Drusi, P. Antistii, aetate paulo inferiorem, quam C. Iulium L. F. dicit. E. c. 62 discimus, Pomponium Sulpicio occiso, Cotta et Curione absentibus ceterisque mortuis inter profectionem reditumque L. Sullae praeter Carbonem et P. Antistium fere

---

248) Cf. Wieland. ad Horat. Sat. I, 4.

solum e reliquis patronis vixisse, proximum vero inferioris aetatis fuisse L. Sisennam, interiisse autem bello civili Sullano, Brut. c. 90. Qualis fuerit orator, docemur ab ipso Cicerone, qui fuisse eum dicit Brut. c. 60 lateribus pugnantem, incitantem animos, acrem, acerbum, criminosum, et de Orat. III, 13 ita confusam eius orationem, ita perturbatam tradit, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantamque insolentiam ac turbam verborum, ut oratio, quae lumen adhibere rebus debeat, ea obscuritatem et tenebras afferat et quodammodo ipse sibi in dicendo obstrepere videatur. Tamen inter oratores illius temporis maxime ipsi placuisse Pomponium, vel potius minime displicuisse, profitetur Brut. c. 57. Hinc satis elucet, tam mediocrem oratorem, qualem fuisse Cn. Pomponium e Ciceronis testimoniis vidimus, a Velleio significari non potuisse. Certo enim Cicero non omisisset inventi operis mentionem facere, si quidem inventio laudanda fuisset, quam, qualis fuerit in oratore, me nescire fateor. Aetate maior fuit M. Pomponius, quem Plutarchus in Gracchis p. 842 fidelissimum C. Gracchi amicum fuisse narrat, qui eum revocaret, quum manum sibi inferre vellet. E Ciceronis loco [249]) viri docti colligunt, C. Gracchum librum ad eum scripsisse. Ceterum vir plane est ignotus, neque erit, qui contendat, hunc a Velleio significari. Aetate inferior est M. Pomponius Dionysius, servus et libertus Pomp. Attici, e cuius et M. Ciceronis nomine iunctum nomen M. Pomponius nactus est [250]). Homo videtur fuisse non ineruditus, quum Cicero eo anagnoste usus sit [251]), eumque in instruenda bibliotheca adhibuerit [252]). Neque ipsum Pomponium Atticum Velleius significare potuit, quippe qui Sullae temporibus fere adolescens esset [253]). Scimus quidem, eum historiae inprimis operam dedisse, cuius scilicet annalem librum Cicero ad Att. XII, 23, et de Magistratibus volumen Nepos Att. 18 laudat, qui de eo praedicat, nullam legem, neque pacem, neque

---

249) De divin. II, 29: „C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit, duobus anguibus domi comprehensis, haruspices a patre revocatos.“

250) Cic. ad Att. IV, 15.

251) Cic. ad Fam. V, 10.

252) Cic. ad Fam. XII, 24.

253) Nep. Att. 4.

bellum, neque rem illustrem fuisse populi Romani, quae non in eo suo tempore fuisset notata, et, quod difficillimum, sic familiarum originem eum subtexuisse, ut ex eo clarorum virorum propagines potuissent cognosci. Addit, fecisse eundem hoc separatim in aliis libris: M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad suam aetatem ordine numeravisse, notantem, qui, a quo ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset, Marcelli Claudii Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum quoque, quibus libris nihil posse esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habeant notitiae clarorum virorum. Potest aliquis coniicere, Velleium ob hunc novum modum historiae scribendae, qui eo differebat a vulgari modo, quod res Romanorum gestae ab auctore expositioni stirpium clarissimarum familiarum adnectebantur, Pomponium Atticum denotasse; sed praeter temporis rationem obstat etiam, quod rudem eum verbis dicit. Dubito enim, num quisquam ostendere queat, Pomponium Atticum, sui temporis eruditissimum et elegantissimum Romanum, Ciceronis amicum et in litteris fere aemulum, virum, cui Nepos Att. 4 tradit tantam fuisse sermonis Latini suavitatem, ut appareret, in eo nativum quendam leporem esse, non adscitum, ob ruditatem in verbis recte a Velleio notari. De Pomponiis, qui seriori tempore vixerunt, hic sermonem esse non posse, facile intelligitur. Animi causa nomino Pomponium, de quo Horat. Sat. I, 4, 52 loquitur tanquam de iuvene prodigo et perdito, qui a patre, si viveret, simili modo increparetur, ut filius in comoedia M. Pomponium Marcellum Grammaticum, qui sub Tiberio vixit; Suet. Grammat. 22; L. Pomponium Flaccum, qui Moesiae et Syriae praefuit ab a. U. 775 usque ad a 786, Tacit. Annal. VI, 27, Suet. Tib. 42; Pomponium Melam, geographum, P. Pomponium Secundum, poetam tragicum, eruditione et nitore praestantem, et virum consularem [254]), et L. Pomponium, eius fratrem maiorem eundemque poetam [255]); Sextum Pomponium, celebrem iurisconsultum, Iul. Pomponium Sabinum, qui scholia in Virgilium scripsit, de quo vid. Heinrich

---

254) Quinct. X, 1, Tacit. Annal. XI, 13.
255) Tacit. Annal. XII, 28.

Progr. Bonn. 1824, denique Pomponium quendam, quem Isid. Origg. I, 38 fin. ex Virgilio inter cetera stili sui otia Tityrum in Christi honorem composuisse tradit. Incertae aetatis sunt Pomponius Vitulus apud Varr. R. r. II, 1, L. Pomponius Molo in nummo apud Eckhel. Tom. V p. 283.

Horum omnium quum neminem a Velleio significari verisimile sit, restat solus L. Pomponius Bononiensis, Atellanarum scriptor, in quem omnia a Velleio allata signa bene quadrant. Primum ex Eusebio scimus, floruisse eum Olymp. 173, 1 = 664 a. U = 90 a. C. i. e. circa tempora belli Marsici, aequalis igitur erat Sisennae historici, qui, ut Velleius perhibet[256]), iam iuvenis Historiarum auctor opus belli civilis, quod gestum est intra annos 666 — 672 (88 — 82) post aliquot annos iam senior edidit. Aliud de Pomponii aetate indicium praebet locus apud Macrob. Sat. VI, 4, ubi de vocabulis, quibus Virgilius primus usus esse videri possit, quum tamen ante et veteres iisdem usi sint, loquitur:

„pastorem, Tityre, pingues
„pascere oportet oves, deductum dicere carmen;

„deductum pro tenui et subtili eleganter positum est. Sic autem „et Afranius in Virgine: Verbis pauculis respondit, tristis voce „deducta, malleque se non quievisse dixit. Item apud Corni- „ficium:

„deducta mihi voce garrienti.

„Sed haec ab illo fluxerunt, quod Pomponius in Atellana, quae „Kalendae Martiae inscribitur, ait: Vocem deducas oportet etc." E quo loco elucet, Pomponium non infra Afranii aetatem vixisse, quum hanc verbi deducere significationem et Afranium, quem circa annum 660 floruisse scimus, et Cornificium, quem Ciceroni parem vel supparem constat[257]), a Pomponio desumsisse dicat.

256) Vellei. II, 9: „Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuvenis, sed opus belli civilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Coelius, aequalis Sisennae Rutilius, Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias. Sane non ignoremus, eadem aetate fuisse — L. Pomponium."

257) Macrob. Sat. I, 9: „unde Cornificius Etymorum libr. 3, Cicero, inquit, non Ianum, sed Eanum nominat ab eundo."

Deinde sensuum illa celebritas, quam Velleius memorat, mira esse non potest in auctore fabularum, quae ut e Valerio Maximo scimus, Italica severitate temperatae erant[258]), neque desunt in fragmentis, uti supra ostendi, vestigia, quae hanc Velleii laudem non falsam esse probant.

Denique ruditas illa verborum vel exiguis fragmentis, quae nobis supersunt, confirmatur. Demonstrant enim, sermonem vetustatis quodam colore tinctum fuisse, quod tamen dicendi genus Schoberus aetati posse tribui censet[259]). Ad quam opinionem probandam similia e scriptoribus, qui Pomponio aequales erant, profert, ut è Q. Atta, Turpilio, Titinio, Afranio, Cl. Quadrigario, Sisenna. Neque nego, multa horum, quae citat, Pomponii tempore apud vulgum in usu fuisse, virosque istos vulgarem sermonem imitatos esse, quod tamen Velleium non impedivit, quominus Pomponium rudem verbis diceret, quum ille sermo a polito dicendi genere, quo sequentia tempora excelluerunt, maxime differret. Ob id ipsum Horat. Epist. II, 1, 76 dubitat, num suo tempore recte nec ne fabulae Attae in scena adhuc spectentur, neque nos offendet, si quis poetam quendam vernaculum, qui aetatis suae sermone usus ante centum ducentosve annos scripsit, rudem dicat. Sed praeter eas verborum formas, quas aetas non improbavit, nonnulla Pomponium vel suo tempore inusitata immiscuisse, pro certo habeo, neque desideraremus exempla, si plura superessent. Movet me potissimum ad hanc opinionem fragmentum, quod citat Calpurnius Piso apud Merulam ad Enn. Annal. Fragm. 308: „Sectio „duplex: simplicium et compositorum. Priorum rarissime vel „nunquam mutare (Merul. legit imitari) decet. Dandum aliquid „est antiquis: non quidquid illis, nobis licet. Scripsit Ennius, „licentia quadam toleranda, lib. VI:

„te
„transfigit corpus, saxo cere comminuit brum.

„Intoleranda licentia imitatur Sempronius Graius (Mer. „scribo „Gracchus; forte is est, cuius meminit Ovid. Epist. de Pont. „IV, 16"):

258) Cf. supra et de L. Pomp. p. 52.
259) L. c. p. 10.

„praefate (Mer. praefacte) oblatam stultum est medi
„spernere cinam.

„Dixit Pomponius:

„lamen color tatrici mutat; lacrumis
„se salsis (Mer. falsis) lavitat, evita (Mer. emta) tundit
„dextera
„pectus; sati'st, ah blanda, fallax[260]) . . .“

Deprehendimus hic Pomponium Ennii imitatorem in dicendi modo, quem vel vulgus respuit. Neque verisimile est, hoc unicum exemplum fuisse (cf. Prisc. III p. 602; „hic et haec senex vetustissimi proferebant. Pomponius in Epigrammate —: tua amica senex.“) Quum talia se non sponte offerant, sed ex industria quaesita appareant, non sine specie quadam conclusi, Pomponium studuisse, sermonem vetustatis quodam colore tingere, per se huic avito fabularum generi apto, licet interdum modum excessisse videatur, ut in illo a Calpurnio citato loco. Iam miratur Schober. p. 12, quomodo Velleius, si Pomponius illam verborum ruditatem de industria consectatus esset, reprehendere in eo potuisset, quod potius laudi ducendum fuisset. Sed Velleius neque reprehendens, neque laudans ruditatem, simpliciter modo tradit, eum verbis rudem fuisse, quod quin ita fuerit secundum ea, quae de hac re protulimus, nemo dubitabit. Nihilominus censendum est, sermonem Pomponianarum Atellanarum minus rudem fuisse, quam in illis liberis iuvenum iocis, quibus maxima parte priscam Atellanam constitisse, supra vidimus, quod iam eo patet, quod inviti fere scriptis maiorem curam dicamus, quam locutis. Itaque rusticitatem priscarum Atellanarum urbanitate Pomponium mitigasse, non ea tamen, quae doctum Romanum, Graecis litteris imbutum prodidit, sed quae vel plebi Romanae propria erat, rudis quidem et dura, sed non

260) Non dubium est, quin nostri Pomponii sint verba. Fragmentum desumtum est e Pomponii Satira et cohaeret cum illo fragmento, quod e Pomponii Satira citat Prisc. VI p. 726:

blanda, fallax, impotens,
superba, discordis.

Non audiendus igitur est Bothius, qui Poet. scen. Lat. V Part. 1 p. 274 ita scribit: „Ista Lamen color etc. non possunt esse P. Pomponii Secundi, nisi animi „causa scripserit, Ennii vel Pacuvii stilum imitatus. Alius hic quicunque Pom„ponius, et fortasse M. Pompônius, amicus C. Gracchi.“

sine nervis et sale quodam ingenuo, pro certo habeo. Aliter enim fieri non potuit, quin Pomponius a veteribus tanquam clarus et egregius scriptor laudaretur. Nec in hac re Novius cessit Pomponio. Itaque Fronto ad M. Caes. IV, 3, p. 95 ed. Mai. elegantes dicit Novium et Pomponium et id genus in verbis rusticanis et iocularibus et ridiculariis, et Donat. vetustam elegantiam Atellanarum praedicat.

Restat iam, ut quale illud Pomponii novum inventum opus, de quo Velleius loquitur, fuerit, ostendamus. Contendi iam in libello de L. Pomponio, Velleium nihil aliud significare, quam Atellanas fabulas a Pomponio primo scriptas editas esse. Schobero multa huic sententiae obstare videntur, quominus veram eam esse iudicet. Primum censet, duobus Macrobii locis [261]) motus, Novium, alterum istum Atellanarum scriptorem, ante Pomponium vixisse, vel saltem Atellanas scripsisse, unde fieri non posse, ut Pomponium scriptae Atellanae inventorem habeamus. Macrobius in illis locis de aetate utriusque poetae non certum quidem testimonium praestat, concludunt tamen viri docti, Pomponium Novio supparem fuisse, quod bis Pomponii nomen Novio postponatur. Argutari esse dixi, e viri nomine ante collocato concludere, eum in scribendo priorem fuisse, et assentitur Schoberus p. 5, si quidem non alia causa accedat, qua commoti nobis persuadeamus, non esse statuendum, perinde fuisse auctori, quod nomen priori loco poneret, exemplum afferens e Diomede Grammatico: „olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, Satira vocatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius [262]).“ Pergit deinde tali modo: „huius negli- „gentiae quum plurima apud antiquos scriptores exempla depre- „hendi haud ignorem, certe si eadem esset utriusque loci Ma- „crobiani ratio, nunquam in animum induxissem, ut putarem, „Novium ante Pomponium Atellanas scripsisse. Sed quanquam

261) Macrob. Sat. II, 1: „Novius vero Pomponiusque non raro iocos dicta nominant,“ id. I, 10: „Caius Memmius quoque, qui post Novium et Pomponium diu iacentem artem Atellanam suscitavit.“

262) Quam parum accurati in recte ordinandis nominibus vel ubi temporis ratio exigit, veteres fuerint, exempla praebet auctor alibi diligentissimus, Quinct. X, 1; in recensione scriptorum ab oratore legendorum: „Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides, dulcis et candidus et fusus Herodotus;“ et infra: „Tragoediae scriptores Accius atque Pacuvius clarissimi.“

„alteri loco: „Novius vero Pomponiusque iocos non raro dicte„ria nominant“ minimum tribuo, in altero tamen, quod ibi de „Atellanae scriptoribus temporum ratione habita agit, nullo modo „Macrobii negligentia factum videri potest, ut Novii nomen „praecederet; praesertim quum vel maxime rei naturae consen„taneum sit, de Memmio, qui artem Atellaniam diu iacentem „suscitavit, agenti eius potissimum, qui primus Atellanas com„posuerit, nomen obversatum esse. At vero, superest etiam, „ut, quod recte fieri posse concedo, statuamus, Novium et „Pomponium aequales fuisse, ac iam quaeramus, uter in scri„bendis Atellanis prior fuerit. Si vera sunt, quae supra de loci „Macrobiani ratione monui, dubium esse non potest, quin No„vius prior dicendus sit, nisi statuere volumus, prorsus incon„siderate atque inepte egisse Macrobium.“ Recte quidem Schoberus observat, in altero illo loco temporum rationem a Macrobio haberi, sed haec ipsa temporum ratio cogit nos, Novii Pomponiique aetates non distrahere. Id enim certum est, de duobus tantummodo temporibus Macrobium loqui, quorum alterum Memmio, alterum Novio Pomponioque definit. Cessisse ait post Novium Pomponiumque artem Atellanam, si alter horum, ut Novius, ante Pomponium vixisset et scripsisset, non dicere potuisset post Novium Pomponiumque, sed simpliciter post Pomponium, unde recte me conclusisse puto, utrumque aetate parem fuisse. Ceterum causam, quod Macrobius Novii nomen praeposuerit, olim dedi in libello de L. Pomponio p. 44, ubi haec scripsi: „immo possumus in „altero illo loco, qui ad sententiam, quam protulit, ma„xime facere videtur Schobero, causam ipsam afferre, cur „Novii nomen praeposuerit Macrobius, quippe qui paulo ante „de Novio locutus sit, cuius nomen, adhucdum in memoria „haerens, priorem locum obtinere, facile est explicatu;“ quod Schoberus in dissertatione sua silentio praetermisit. Sed si concedamus etiam, alterum alteri supparem fuisse, quid nos statuere vetat, Macrobium contrario ordine, quam quo Schoberus vult, scriptores Atellanarum enumerare, ita ut a minore, Novio, ad maiorem, Pomponium, ascendat, praesertim quum Memmium, qui horum erat recentissimus, primo loco ponat? An etiam ineptum dicet et inconsideratum Macrobium inverso ordine

scriptores recensentem? Patet igitur, nihil certi ex illis Macrobianis locis posse erui, nisi utrumque eodem tempore vixisse et scripsisse, neque inde meam opinionem de Pomponio primo Atellanarum scriptore posse refelli. Ad quam iuvandam etiam id facit, quod Eusebius neque Novium, quem si non celebriorem tamen aeque bonum scriptorem habemus, neque alium recenset, nisi nostrum.

Negat porro Schoberus p. 8, posse Pomponium ob id solum, quod primus Atellanas scribere ausus sit, totius operis inventorem dici, causam interserens, fabulam Pomponianam non ita multo recessisse ab antiqua Atellana. Quare non putat, quod equidem contendi de L. Pomp. p. 89 Pomponium eodem iure inventorem Atellanae dici posse, quo Horat. Sat. I, 10, 47 Lucilium Satirae inventorem, et v. 66 Ennium (ut alii volunt, eundem Lucilium; cf. Heindorf ad h. l.) Graecis intacti carminis auctorem vocat. Non satis mihi perspexisse videtur statum et rationem poeseos Romanae, qualis tunc fuit. Romani in poetica arte Graecorum et sectatores et aemuli diu, quae genuina erant, neglexerunt et colere plane abstinuerunt. Ita per longum tempus incultae iacebant et Satira Romana et Atellana. De Satira quidem longius esset et a scopo nostro alienum, prolixius ostendere, Schoberum hic quoque multa non recte intelligere, id potissimum improbamus, quod Livium Andronicum e loco Livii historici male intellecto iam Satirarum scriptorem facit [263]). De Satira omnino multi viri docti, decepti comparatione, quam cum Graecis dramatibus instituunt, qua duplicem Satirarum speciem statuunt, dramaticam et didacticam, non recte sensere. Satira enim nunquam tale drama, quale apud

263) L. c. p. 8: „Minime vero putandum est, ob eam causam Ennium ab „Horatio dictum esse, quod primus Satiras scriptas condiderit, immo ne verisi„mile quidem est, id primum fecisse Ennium; nam eo ipso loco Livii, quem citat „Munkius, Livius Andronicus ab Saturis, i. e. quum ipse antea Saturas scripsis„set, ausus esse dicitur primus argumento fabulam serere. Legimus ibidem, „iam ita illis temporibus comparatam fuisse Saturam dramaticam, ut histriones „non sicut antea Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alter„nis iacerent, sed impletas modis Satiras descripto iam ad tibicinem cantu motu„que congruenti peragerent. Eiusmodi Saturas ex tempore actas esse Livii An„dronici aetate, equidem haudquaquam crediderim." — Livii locum optime explicat Valer. Max. II, 4: „paulatim deinde ludicra ars ad Satirarum modos per„repsit, a quibus primus omnium poeta Livius ad fabularum argumenta spectan„tium oculos et animos transtulit."

Graecos reperimus, erat, sed ut supra demonstravimus, farrago diversissimarum rerum cum cantu et aptis motibus coniuncta. Qui Satiram edebant, non argumento fabulam serere, sed narratiunculis, descriptionibus, iocosis dialogis similibusque, immixtis cantilenis ad tibicinem cum motu congruenti spectatores delectare solebant. Satirae iam ab origine sua irrisione refertae circa vitia hominum tangenda inprimis versabantur, et quas dramaticas dicunt, eodem iure didacticas dicere possunt. Itaque neque Lucilius, ut Schoberus vult [264]), primus Satiram ad tangenda hominum vitia transtulit, neque, quamquam concedo, Lucilianam Satiram plerumque hominum vitia tetigisse, id in omnibus huiusmodi carminibus unicum fuisse argumentum, contendo, quod, ut exemplo utar, clare patet ex Horatii Satira I, 5, quae vulgo Iter Brundusium inscribitur, quaque, ut e vetere Scholiaste discimus, Lucilium imitatur [265]). Et quum iam Ennium e dramatica Satira didacticam fecisse contendat Schoberus [266]), Lucilius non primus esse potuit, qui in Satira vitia hominum tangeret; an dicamus, Ennium tantum hominum virtutes laudasse, Lucilium vitia reprehendisse? Discrimen Satirarum generum non in materia, quae, ut dixi, nullis fere finibus inclusa erat, sed solummodo in forma quaerendum est. Nego omnino ante Ennium Satiras scriptas esse, maxime vero Livium Andronicum, Graecum hominem, qui Romanis Graeca commendare conatus sit, Satiras composuisse. Iam Ennium in scribendis Satiris priscam Satiram secutum esse, pro certo habeo, forma tamen ad exemplar Graecorum dramatum instituta, ita quidem, ut dialogos, narratiunculas et quae erant eiusmodi metris diverbiorum: senariis iambicis, versibus septenariis et

---

264) L. c. p. 8: „Nam Lucilium iure inventorem dici, quis dubitet, quum primus Satiram ad tangenda hominum vitia transtulerit, illamque formam plane novam (antea enim carmen, ut Diomedes dicit, quod ex variis poematibus constabat, Satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius) ei dederit, quam Horatius et omnes deinceps Satirarum scriptores secuti sunt.“

265) „Lucilium hac satira aemulatur Horatius, iter suum a Roma usque Brundusium describens, quod et ille in tertio libro fecit, primum a Roma Capuam usque, et inde fretum Siciliense.“

266) L. c. p. 8: „Novum quoddam carminum genus condidit eo, quod Saturam ex dramatica didacticam fecit, et ex antiqua Satura id unum tenuit, ut variorum quasi carminum farrago esset.“

quaternariis, tum iambicis, tum trochaicis exprimeret, in canticis vero creticis, bacchiacis, anapaesticis similibusque versibus uteretur, id, quod fragmenta confirmant. Unde factum est, ut Grammatici discrimen Ennianae Satirae a Luciliana in varietate poematum i. e. metrorum ponerent. Lucilius enim hanc dramaticam formam cum epica commutavit, uno tantum metro, eoque plerumque heroico usus, quem, ut Ennium Pacuvius et Pomponius, secuti sunt Horatius, Iuvenalis et Persius. Terentius Varro in Satiris suis Menippeis hanc Ennianam formam ita denuo mutavit, ut pedestri sermoni carmina variorum numerorum immisceret, unde illa Quinctiliani verba V, 1: „alterum „illud etiam et prius Satirae genus, quod non sola carminum „varietate mistum condidit Terentius Varro, vir Romanorum „eruditissimus," non sola carminum varietate, sed etiam pedestri sermone. Varronem sectati sunt Petronius Arbiter in Satyrico, Seneca in morte Claudii et Martianus Capella in Satyrico. Schoberum ut multos alios Grammatici a recta via deduxerunt. Supra in alia re ostendi, quam parum sani fuerint Grammatici in diiudicandis poeseos generibus: id patet etiam e Diomedis eo loco, quo Schoberi sententia de Satira maxime nititur; etenim Diomedes discrimen utriusque generis Satirarum his verbis explicat: „Satira est carmen apud Romanos, non „quidem apud Graecos maledicum et ad carpenda hominum vitia „archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt „Lucilius et Horatius et Persius. Olim carmen, quod ex variis „poematibus constabat, Satira vocabatur, quale scripserunt Pa„cuvius et Ennius." Desumsit, ut clarum est, Lucilianae Satirae definitionem ex Horatio Sat. I, 4, 1 — 6, et Iuven. Sat. I, 85; Ennianae vero e Quinct. X, 1. Sed quis non videt, quantopere talis explicatio claudicet. Lucilianae Satirae proprietatem in materia ponit, Ennianae in forma. Quid vero impedit, quominus etiam variis poematibus vel pedestri sermone versibus mixto hominum vitia carpantur? Melius dixisset: Satira Luciliana uno poemate, Enniana pluribus constabat, sive Luciliana Satira hominum vitia carpebat, Enniana hoc vel illud describebat. Caveamus igitur, ne in talibus rebus Grammaticis nimis tribuamus. Ceterum similis metamorphosis ut Satirae etiam apud Graecos mimo Siculo contigit, quem, ut scimus, Epichar-

mus et Sophron excipientes dramatice et dialogice exhibuerunt, Theocritus et qui eam secuti sunt bucolici in epicam formam transtulerunt.

Ennium igitur Satirarum auctorem habemus, quia primus Satiras adhibita Graeci dramatis forma scripserit, Lucilium vero Satirarum epicae formae inventorem [267]). Quae quum ita sint, quid obstat, quominus Pomponium Atellanae inventorem dicamus, quod primus Atellanas scriptas ediderit, externa earum forma ceteris dramatum generibus, quae tum in scena steterunt, adaptata? Inventor enim non is est, qui quidquam e nihilo creat, quem potius creatorem dicere fas est, sed qui quae antea disiuncta erant, novo modo coniungit, e quo connubio non raro poetica species singulari quadam indole praedita proprioque ingenio animata gignitur (cf. Wieland. ad Horat. Epist. I, 19, 25). Lucilium inventorem Satirae recte dici, concedit Schoberus p. 8, sed neque tangere hominum vitia eum invenisse probabit, praesertim quum Horatius ipse Sat. I, 4, 1 — 6 eum in hac re totum pependisse a viris, quorum comoedia prisca, hosque secutum dicat, neque hexametrum epicum, quo usus est plurimum in Satiris, neque quem alium versum adhibuerit, condidisse eum primum, ostendere poterit. Aeschylum tragoediae parentem vocamus, neque is tragicum argumentum creavit, neque primus metra dialogica et melica ostendit. Itaque eodem iure, quo Lucilium Satirae inventorem, Aeschylum tragoediae patrem dicimus, quem tamen Thespis aliique rudimenta tragoediae et quasi germina colentes praeierunt, Pomponium etiam patrem sive inventorem Atellanae recte dicere possumus, quippe qui Atellanas rudes iuvenum in artem mutaverit.

Omnem vero litem dirimat Velleius ipse, qui I, 17 haec habet: „nam, nisi aspera ac rudia repetas et inventi lau„danda nomine, in Attio circaque eum Romana tragoedia est, „dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque „et Afranium suppari aetate nituerunt.“ Nemo enim non vi-

267) De vi vocum auctor et inventor cf. Manso: *Vermischte Abhandlungen und Aufsätze* p. 297: auctorem dicit non solum eum esse, qui aliquid inveniat, sed qui exemplo sive consilio suo rem praeparet sive in certamen vocet, ita verbi causa Klopstockium inventorem versus epici Germanorum, Fischartium sive Gottschedium auctorem habet.

dat, Velleium sub asperis et rudibus et inventi laudandis nomine, quae repetere nolit, opera antiquissimorum poetarum, Livii, Ennii, Naevii, intelligere, quos nemo dicet tragoedias vel comoedias invenisse; sed inventores Velleium eos nominasse, quod primi Latinas fabulas scripserint, quisque facile animadvertit. Eodem modo Pomponium ob inventum opus commendat, quod auctor scriptae Atellanae fuerit.

Errat hic quoque Schoberus, qui censet, clari et egregii Atellanarum scriptoris laudem Pomponium sibi comparasse, quod ad fabularum ex tempore olim actarum artem ac praestantiam proxime accessisse videretur [268]). Ex nostro quidem sensu bene fecisset Pomponius, si quantum fieri potuisset, propriam Atellanae indolem, qua a Graecis dramatibus et in materia et in forma differebat, servasset, sed ex sensu Romanorum, qui incompositum veterem ludum tanquam rudem et aetati elegantiori minus aptum abiecerunt, idque solum probarunt, quod Graecae arti propius accedebat, rectius fecisse videbatur, quod Atellanae formam a Graecis petitam tumque unice probatam dederit. Quae ex sententia eruditorum Romanorum in poetica arte probanda, quae improbanda sint, interpres nobis est Horatius tum alibi, quum his versibus Epist. II, 1, 156 sqq.:

Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
intulit agresti Latio; sic horridus ille
defluxit numerus Saturnius, et grave virus
munditiae pepulere; sed in longum tamen aevum
manserunt hodieque manent vestigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis;
et post Punica bella quietus, quaerere coepit
quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
Tentavit quoque rem, si digne vertere possit;
et placuit sibi, natura sublimis et acer
nam spirat tragicum satis et feliciter audet,
sed turpem putat inscite metuitque lituram.

268) L. c. p. 9: „clari et egregii Atellanarum scriptoris laudem, quam veteres ei tribuunt, qua alia re sibi comparasse putandus est, nisi eo, quod tanto successu in scribendis Atellanis usus est, ut ad fabularum ex tempore actarum artem ac praestantiam proxime accessisse videretur?“

> Creditur ex medio quia res arcessit, habere
> sudoris minimum, sed habet comoedia tanto
> plus oneris, quanto veniae minus; etc.

Ad Graeciam allegat poetas, tanquam fontem et exemplum pulcri. Itaque tantum abest, ut Schobero assentiar, qui dicit: „eam inprimis operam dandam fuisse Pomponio, ut minime „sentirent aequales sui, novum esse, quod instituisset opus, „quod quo magis assequeretur, eo propius ad laudem accede„ret,“ ut plane contrarium credam. Etenim ob id ipsum Pomponius laudem assecutus est, quod Atellanam ceteris dramatibus similiorem reddebat, nova ei hucusque forma adhibita, liberum antea ludum in drama regulis tum usitatis et probatis conveniens immutans. Nihil aliud fecit multis seculis post Italus Angelus Beolcus Ruzante Patavinus, qui comoediam antea ex tempore actam in solenne drama ad exemplar Plauti Terentiique fabularum, servatis quidem stabilibus personis eorumque patria dialecto mutavit[269]. Ante hos centum annos in patria nostra nihil in scena probabatur, nisi quod ex regulis et legibus Francogallorum poetarum compositum esset. Iam si tum poeta ingeniosus periclitatus esset, elementa priscarum fabularum formae tum unice probatae adaptare, certo maiorem laudem ab aequalibus assecutus esset, quam si integram dedisset fabulam talem, qualem exempli gratia Sachsius Norimbergensis sive Gryphius Glogoviensis scripserunt.

Itaque ex omnibus, quae hactenus disseruimus, manifestum est, quid sub nova forma a Pomponio Atellanae data intelligendum sit. Per se quidem forma non nova erat, apparet enim in omni Romanorum comoedia ex Livii Andronici tempore, sed Atellanae nova esse visa est. Atellanas in patria sua iam Graeci dramatis formam habuisse, nemo probare poterit, neque quum Romam migravisset iisque ridicula iuvenum antiquo more iactitata versibus intexta consererentur, illam formam induisse, verisimile est. Ille enim antiquus mos is erat, Livio teste, ut Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis iacerent; et quae olim ridicula sine ullo fabulae vinculo sub

269) Lessing. *Theatralische Bibliothek* II p. 180.

suis personis iactitaverant, tunc sub Oscis personis fabulae argumento intexuerunt. Quantum vero tale spectaculum ab artificioso dramate distet, nemo non videt. Neque adsunt veterum testimonia, quae probent, hanc rudem formam ante Pomponium mitigatam esse. Itaque persuasum mihi est, Pomponium, qui primus Atellanas scripserit, hunc ludum in drama regulis certis conveniens mutasse. Oportuit igitur eum formam huic fabulae aptam circumspicere, neque habuit aliam, quam sibi eligeret, nisi ceterarum fabularum, quam a Graecorum nova comoedia Romanos petivisse scimus. Et hoc ita esse, fragmenta demonstrant: pro versibus Saturniis, Fescenninis similibusque Graeca metra praebent, neque in ceteris rebus, in scenarum ordine, in modorum ratione, in actione, scenico apparatu admodum abiisse Atellanas, iam ideo credam, quod non omisissent scriptores diserte commemorare, si Atellanarum auctores solennem morem deseruissent, quum ne leviora quidem notare negligant, ut Terentianus Maurus et Marius Victorinus frequentiorem iambici septenarii apud Atellanos usum, et Asconius Pedianus per pauciores Atellanas actas esse et togatas Graecis fabulis. Ne hoc quidem Schobero concedam, quod coniicit p. 7, Atellanarum scriptores hic illic etiam nonnulla tantummodo indicasse et quasi primis lineis adumbrata actoribus pro suo cuique ingenio explenda reliquisse. Veteres enim amabant, quodcunque opus ab omni parte absolvere, neque quidquam imperfectum relinquere.

Nihili etiam est, quod Schoberus p. 13 dicit: „multo verosimilius est, non sola materia, sed forma etiam longe a palliatis et ceteris togatis Atellanam abiisse, si hoc unum respicimus, quod ut recentioribus temporibus fabula dell' arte certas personas, e. g. Maccum, Bucconem, alias, habuit, quae res quantam vim in confirmationem totius generis exercuisse putanda sit, nemo non videt.“ Oscis quidem certis personis maxime differebant Atellanae ab aliis fabulis, sed non quod certae, i. e. statae erant, quibus ne palliata quidem omnino carebat, nam quid patres, adolescentes, parasiti, milites gloriosi aliud erant? sed quod Oscae. Verum nisi contendat, Oscas personas etiam Osce locutos esse, quod tamen ipse negat, non video, quid impediverit, quominus Atellanarum auctores cete-

rarum fabularum forma uterentur. In conformationem argumenti vero magnam eas vim exercuisse, libenter concedo.

In Atellana ex tempore acta fabulae nexus non nisi admodum simplex esse potuit, saepe iocis dicteriisque actorum a fabulae argumento alienis interruptus. Pomponius vel quis alius Atellanas scripsit ad modum comoediarum nexui et rationi totius argumenti plus curae dedisse videtur, remotis rebus superfluis et alienis. Vidimus supra e vestigiis in fragmentis obviis fabularum argumentum fere simili modo necti et solvi, quam in ceteris fabulis. Oscae quidem personae e vetere Atellana in scriptam susceptae sunt, sed quis sibi persuadeat, statas illas personas per longum temporis spatium immobiles etiam mansisse? Ea enim est praestantia illarum statarum personarum, quod non mutatis moribus, Maccus enim omni tempore stupiditate, Pappus avaritia sive ambitione sive libidine insignis erat, cuiuscunque aetatis proprium colorem sine damno indolis et naturae suae assumunt. Quod si non esset, mortuae potius figurae habendae essent, neque quisquam erit, qui non intelligat, hanc ipsam vim causam esse, quod tales personae solae non inveterascant, sed novae semper appareant. Quod apud nostrates etiam fieri, non est, quod moneam. Memini, me ante hos viginti annos similem comicam personam in fabula quadam vidisse promissis capillis, nudato collo, pallio nigro, patagio artificiose plicato, Palaeoteutonem non sine multo risu repraesentantem, ante hos decem annos forte in Philhellenem mutata erat, hodie neque Teutones neque Hellenes curabit, sed vias ferro stratas, sive saccharum betis extricandum loquetur. Quis igitur cum Schobero credat, Pomponii Noviique Maccum, Pappum, ceterosque ad unguem antiquis Campanis personis, quas Andronici tempore ex Atella iuvenes petivissent, aequales fuisse, Oscosque mores solummodo Campanasque nugas, ut olim in patria Atella, ostendisse[270]? Taeduisset profecto

---

270) Schob. l. c. p. 9: „Pomponii etiam aetate satis magna inter Campanos „et Romanos mores diversitas fuit et quod omnino quae ab antiquissimis inde tem„poribus multitudini cognita et accepta fuerunt, haud facile evanescunt, nedum „Oscae personae iam tum exstinctae fuerunt, quibus tam singularis erat species, „tam propria indoles, ita ad humani generis mores et ingenium efficta, ut nullo „tempore exstingui possint; videtur enim e. g: Maccus hominis inepti et fatui,

spectatores, semper easdem spectare, eademque audire, qui novitate potius et varietate capiendi erant. Quod ne palliatarum quidem personae faciunt, ut partes suas religiose teneant, sed saepe fabulae temporis locique immemores ad praesentes res hominesque alludunt. Cf. I. A. Becker de Comicis R. fab. p. 63 sqq. Idque multo magis in Atellanis fabulis factum esse, iam inde patet, quod hi ludi Satirarum veterum munere fungentes non raro mala temporis praesentis vitiaque hominum tunc viventium perstringebant.

Quis porro neget, iam inde, quod Oscae personae Romam translatae sint, materiam amplificatam esse? Atellanae circa angustas oppiduli rurisque fines inclusae Romae maiorem quasi orbem nactae sunt. Summa vis Oscarum personarum posita erat in earum rusticitate, urbanis Romanis eo magis sine dubio ridicula, quo magis urbanitati opponeretur. Itaque variae ab auctoribus conditiones inventae sunt, quibus hoc maxime fieret. Largam apud nos etiam ridendi materiam praebent rustici vel oppidani vitae urbanae ignari in urbem translati. Ludimus stuporem eorum ob nova iis spectacula, delectamur dolis et facetiis, quibus calliditati urbanorum hominum praedae sunt, videmus denique conamina inconcinna morum urbanorum imitandorum. Talia a tam faceto scriptore, qualem nobis fingimus Pomponium ad comicum effectum augendum praetermissa esse, vix credo. Exstant sane etiam huius rei indicia in titulis nonnullarum fabularum. Quis neget, in Pomponii Kalendis Martiis, quam fabulam Macrob. VI, 4 diserte Atellanam dicit, potius Romanas, quam Campanas res descriptas esse? Idem valere puto de Quinquatribus Pomponii et de Novii Memmiique iis fabulis, in quibus Saturnalium mentio fiat apud Macrob. I, 10. In Novii Macco exule Maccus certo patria Campania relicta apud exteros versatus fingebatur, neque solos Campanos mores

„Pappus senis deliri et inepti, Manducus voracis, Bucco garruli persona fuisse, „quas quis unquam exstinctas et emortuas e vitae consuetudine abiisse dixerit? „Accedit, quod, si revera exstincti erant mores Campani et Oscae personae, „quum id haud aliam ob causam fieri potuerit, quam quod mutata temporum ra„tione desierit grata esse earum actio et repraesentatio, non intelligitur, quo„modo in mentem venire potuerit Pomponio sperare, iis in scenam revocandis se „operae pretium esse facturum.“

ostenderunt Pomponii Galli Transalpini[271]) Noviique Milites Pometinenses. Itaque me non errasse puto, contendens, Pomponium veterum Atellanarum materiam auxisse et amplificasse eo, quod Oscas personas, in patria inter populares solummodo degentes, interdum cum Romanis, Gallis, Tuscis aliisque consociaverit[272]). Vel heroibus et diis Oscas personas adiunctas esse in Rhinthonicis Atellanarum scriptorum fabulis, ut supra ostendi, fere coniiciam. Etiam facile fieri potuit, ut Pomponius numerum statarum personarum augeret. Is fortasse primus Dossennum, quem potius Marsum, quam Oscum habendum esse supra docui, Oscis veteribus personis addidit.

Iam quum nostram de Pomponii novo invento opere opinionem lectori denuo diiudicandam proposuerimus, aequum est, nos etiam, quid Schobero, qui hanc meam sententiam improbat, rectius videatur, commemorare. Coniecturae, quas olim fecit in libello de Atellanis Germanice scripto de imitatione dramatis Satyrici, de materia tabernariarum in Atellanicam formam redacta[273]), de coniunctione variarum dialectorum[274]), ipsi nunc non satisfacere videntur; nam novam in fine dissertationis de Velleii loco hisce verbis profert: „Sed fortasse alia etiam eius „difficultatis, quam Velleii verba nobis obiiciunt, si quidem ad „L. Pomponium Bononiensem referenda esse putamus, expe„diendae ratio circumspicientibus nobis apparet. Scilicet dubi„tari nequit, quin Pomponius, etsi tanta ingenii ubertate prae„ditus erat, ut summam sibi laudem pararet scribendis Atella„nis, tamen facile senserit, desiderari eam gratiam, quam non„nisi subita actio afferat, neque quemquam scribendo eum as„sequi posse. Verum in fabulis, quippe quae argumento seran„tur, ita ut sit aliquis quamvis laxus rerum agendarum nexus, „citius refrigescit ingenii impetus, quod maiores difficultates

271) Schob. l. c. p. 14: „Gallos etiam Transalpinos, quam fabulam Gell. XVI, 6 et Macrob. VI, 9 citant, non dicunt Atellanam esse, quapropter etc.“ At dicit Nonius, qui idem fragmentum e Pomponii Atellana citat bident. p. 53, 23.

272) Eiusdem sententiae etiam Stievius l. c. p. 47 est: „Non dubito, quin argumenta non ab Oscis solis, sed etiam ab aliis vicinis populis et ab ipsis antiquis Romanis, praecipue rusticis, petita sint.“

273) L. c. p. 42.

274) L. c. p. 44.

„superandae sunt ex tempore agentibus, quae ipsa res in causa „fuisse videtur, ut scriptas edere fabulas Atellanas aggressi „sint poetae. Sed longe alia fuit Saturae antiquissimae ratio, „quam Livius VII, 2 exodium appellatam et fabulis potissimum „Atellanis consertam esse narrat. Nam ridicula ista versibus „intexta quum more antiquo iactarentur, nullis vinculis prae„pediti libere excurrere et animi impetum sequi poterant acto„res, quo in lusu quanta fuerit gratia, quantus lepor, facile in„telligitur; Itali enim hodie etiam iocis et facetiis redundant et „mira quadam versus ex tempore fundendi facultate praediti „sunt. Ridicula illa semper ex tempore acta fuisse mihi viden„tur, itaque quum Atellanis conserta essent, in magna utrius„que generis similitudine et cognatione fatisfieri potuit iis, qui „quererentur, in scriptis fabulis quodammodo imminutam esse „antiqui lusus gratiam et dulcedinem. Id primum sensisse Pom„ponium et Satura antiqua fabulis Atellanis conserta aequalium „desiderio ac voluntati occurrisse, si statuimus, profecto non „est, quod diutius, qua in re operis ab eo inventi novitas po„sita fuerit, dubii circumspiciamus."

Confiteor, me sententiam eius non ab omni parte intelligere. Haec mihi sentire videtur: Postquam Livius Andronicus argumento fabulam serere coeperat, iuvenes Romani antiquo more versibus ridiculis iocabantur, quae nugae deinde Atellanis ex tempore actis additae sunt. Colligo, hanc esse eius sententiam e loco de Exod. p. 22, ubi dicit: „In Atellanis enim, „quamquam argumento serebantur, tamen quum initio ex tem„pore agerentur, non ita dispositas fuisse res atque inter se „cohaesisse verisimile est, ut non interdum aliquid desiderare„tur. Atque ad eiusmodi quasi lacunas explendas, ut haberent „spectatores, quo interim animos oblectarent, ridicula inserta, „ubi vero usus hoc non exigebat, in fine mihi acta videntur." In loco vero supra citato e Dissertat. de Vellei. statuere mihi videtur, ridicula ex tempore acta remota esse, quum Atellanae edi coepissent, a Pomponio vero denuo instaurata et scriptae Atellanae primum addita esse. Fabulae Atellanae ob maiores difficultates superandas subitae actionis gratia maxima ex parte destitutae erant, quapropter poetae Atellanas scribere aggressi sunt. Iam quum scribi Atellanae coepissent, illa ex tempore

iactitata ridicula desiisse nobis fingamus non sine dolore spectatorum, qui quererentur, in scriptis fabulis quodammodo imminutam esse antiqui lusus gratiam et dulcedinem. Itaque Pomponius aequalium desiderio et voluntati occursurus Saturam antiquam, i. e. ludum istum iuvenum liberum et antiquum fabulis suis Atellanis scriptis tanquam exodium addidit, idque fuit eius inventum novum opus, quo eum commendabilem dicit Velleius. Primum non animadvertit, illi plebis desiderio et voluntati satisfactum esse Mimis, qui, ut Festus ait, in orchestra prodibant, dum intus actus fabulae componerentur, cum versibus obscoenis, quod iam M. Catonis et Africani temporibus vel ante eos factum esse probavit Stievius l. c. p. 50. Deinde non video, quomodo illa iuvenum ridicula, quae exodia fuerint Atellanarum, Velleius opus Pomponii dicere possit, nisi Schoberus contendat, Pomponium has antiquas, ut ait, Satiras litteris composuisse. Et fortasse testimonii causa proferet Satiram, quam Pomponium scripsisse, e Prisciano p. 679 et 726 Putsch. scimus. At tum iam potuissent spectatores etiam queri, in scriptis Satiris quodammodo imminutam esse antiqui lusus gratiam et dulcedinem; neque video, quomodo, quum neget, eum, qui primus Atellanas scripserit, inventorem dici posse, nobis persuadere velit, Pomponium Satiras scribentem recte inventorem dici, praesertim quum iam ante eum Ennius, Pacuvius aliique Satiras scripserint. Contendet fortasse, novitatem operis non in scriptis Satiris, sed in coniunctione Atellanae et Satirae quaerendam esse. At ex ipsius sententia olim iam cum tragoedia [275]), et deinde cum Atellana ex tempore acta coniunctae erant, neque potest restitutor antiquae rei inventor novi operis dici. Huc accedit, quod Novius, quem tamen ante Pomponium vixisse putat, etiam Exodium scripsit [276]). An dicet, Novium et Pomponium pares. Noviumque in scribendis exodiis imitatorem Pomponii fuisse? Quae si contenderet, non video, cur neget, quod ego volui, utrumque parem fuisse, Novium vero Pomponium secutum esse in scribendis Atellanis. Iam si statuimus, id quod etiam Schoberi sententia esse videtur, Pom-

275) Schob. de Exodiis p. 21.

276) Apud Non. 89, 27; 96, 19; 116, 24; 245, 29; 575, 24.

ponium Satiras non scripsisse, sed curasse modo Atellanis suis scriptis iocos iuvenum antiquo more ex tempore fusos tanquam exodia addendos, iam Velleius summae absurditatis accusandus erit, qui Pomponium commendaverit ob novum inventum opus, quod non opus Pomponii, sed aliorum, non novum, sed perantiquum, non inventum, sed instauratum fuerit. Ceterum non puto, poetae fuisse, sed aedilis, vel quis alius ludos scenicos ederet, de ordine et generibus spectaculorum statuere. Quare non possumus, quin iudicemus, Schoberum haec quoque inconsiderate coniecisse, neque aliter fieri potest, si in re vaga et dubia, quod simplicissimum est, respuimus. Talibus saltem sexcentisque aliis coniecturis, quas proferre non multi laboris est, rem incertam non certiorem reddimus.

Pomponium foecundissimum poetam fuisse, probat numerus fabularum, quarum plus sexaginta titulos nobis veteres auctores servaverunt. Ut melius perspiciamus, quae ex his Atellanae fuerint, in certos quosdam ordines eas redigamus. **Primum locum** habeant eae fabulae, quas Atellanas fuisse, e disertis veterum testimoniis scimus:

1. **Aedituus**, apud Gell. XII, 10: „Pomponii fabula Atellana est, quae ita inscripta est: Aedituus."
2. **Kalendae Martiae**, apud Macrob. Sat. VI, 4: „sed haec ab illo fluxerunt, quod Pomponius in Atellana, quae K. M. inscribitur, ait."
3. **Maevia**, apud Gell. X, 24: „venit ecce illius versus Pomponii in mentem, qui est ex Atellana, quae Maevia scribitur."
4. **Porcetra** (Porcaria apud Non.) apud Gell. XVIII, 6: „nam de porcetra sane habet auctorem Pomponium in Atellana, quae hoc eodem vocabulo inscripta est."
5. **Galli Transalpini** apud Gell. XVI, 6 et Macrob. VII, 9: „Pomponius, Atellanarum poeta, in Gallis Transalpinis — hoc scripsit;" Non. bident. 53, 23: „Pomponius in Atellana."

Secundo loco ponamus eas fabulas, quae Oscas personas in capite gerunt, quae igitur quin Atellanae fuerint, non dubitandum est:

6. Agricola sive Pappus Agricola.
7. Bucco adoptatus.
8. Bucco auctoratus.
9. Hirnea Pappi.
10. Maccus.
11. Macci gemini.
12. Maccus miles.
13. Maccus sequester sive equester.
14. Maccus virgo.
15. Pappus praeteritus.
16. Sponsa Pappi.

His addimus etiam fabulam, quae inscribitur:

17. Pytho Gorgonius; cf. supra p. 41;

et fabulas fullonias:

18. Decuma Fullonis.
19. Fullo sive Fullones.

Tertius locus sit iis fabulis, quarum fragmenta Oscas personas produnt:

20. Aruspex s. Praeco rusticus: „Fae, Bucco, puriter uti tractes."
21. Campani: „Dato Dorsenno et fullonibus publicitus cibaria."
22. Philosophia: „Ergo, mi Dossenne, quum istaec memore meministi, indica."
23. Pictores: „Pappus hic medio habitat senica, non sescunciae.

Quartus iis, quas Atellanas fuisse ob res aut personas rusticas, quas vel tituli vel fragmenta prodant, verisimile est:

25. Aleones: „At ego rusticatim tangam, urbanatim nescio."
26. Asina s. Asinaria.
27. Capella.
28. Ergastulum: „Longe ab urbe villicari, quo herus rarenter venit, etc."
29. Placenta: „Rustici edunt libenter pedibus tritos acres intybos."
30. Rusticus.
31. Sarcularia.
32. Vacca s. Marsupium.
33. Verres aegrotus.

Quintus iis, quibus cetera indicia desunt, quarum vero argumenta Novium quoque tractasse ex aequalibus titulis apparet:

34. Dotata.
35. Praeco posterior.

Sextus iis, quarum neque tituli, neque fragmenta indicium aliquod praebent:

36. Annulus posterior.
37. Augur.
38. Collegium.
39. Conditiones.
40. Cretula sive Petitor.
41. Haeres petitor.
42. Lar familiaris.
43. Leno.
44. Medicus.
45. Munda.
46. Nuptiae.
47. Pannuceati.
48. Patruus.
49. Piscatores.
50. Pistor.
51. Portus s. Portitor.
52. Praefectus morum.
53. Prostibulum.
54. Quinquatria.
55. Syri.
56. Verniones.

His septimo loco addimus, quarum tituli ob corruptam librorum lectionem non satis constant:

57. Citharista.
58. Concha.
59. Dives.
60. Maialis.

Octavum locum teneant, de quibus supra prolixius locuti sumus:

61. Agamemnon suppositus.
62. Marsyas.
63. Satira.

Denique nonum:

64. Adelphi.
65. Synephebi,

quarum tituli Graeci suspicionem movent, has fabulas palliatas fuisse.

Ex hac recensione lector intelliget, nos non sine veri specie contendere, plurimas Pomponii citatas fabulas Atellanas fuisse. Scripsisse eum togatas etiam, conclusi olim e Schol.

vet. Horat. Cruq. p. 632 ed. 1611: „Praetextatas et togatas „scripserunt Aelius Lamia, Antonius Rufus, Cai. Melissus, „Afranius et Pomponius.“ Sed facile etiam fieri potuit, ut Atellanae, in quibus Romanis etiam partes essent, a Grammaticis cum togatis commutarentur. Certi tamen aliquid de hac re erui non potest. Praeter fabulas Pomponii Epigramma quoddam citatur a Varrone de L. L. VI p. 315 ed. Speng. et Prisc. III, 602. Ceterum Pomponium inter poetas suae aetatis non infimum locum obtinuisse, testes sunt praeter Velleium l. c. Macrob. Sat. VII, 9, qui eum egregium Atellanarum poetam dicit, Arnob. adv. gent. II, p. 43, qui eius Marsyam memoria obsignatum vulgus tenere memorat. Eusebius in Chron., qui eum tanquam clarum poetam recenset, et Fronto ad M. Caes. IV, 3 p. 95 ed. Mai. qui eum elegantem in verbis rusticanis, iocularibus et ridicülariis dicit.

Transeamus nunc ad Novium, alterum istum Atellanarum scriptorem. De viri vita nihil nobis traditum est. E loco Macrobii Sat. I, 10 recte viri docti de aetate eius coniecerunt, fuisse eum Pomponio parem[277]), unde tamen cognoverint, ei Quinto praenomen fuisse, me ignorare fateor, quum apud veteres solummodo Novius appelletur. Aliud fortasse indicium, quo nostra de Novii aetate sententia, confirmatur, desumi potest e fragmento Novii Pedio apud Non. rostrum p. 455, 13:

nec unquam vidit rostrum haec tragoedia tantum Titi,

si quidem lectio certa est. Libri fere omnes habent Titi, praeter ed. Ven. uti et edd. Pariss. uti, in margine Titi, in notis Titi Ms. dici. Variae lectiones ed. Paris. 1583 tantum Titi, tantum dici. Dici videtur correctio esse scribae pro Tici, i. e. Titii, Titî. Bothius emendavit:

nec unquam vidit rostrum, Tite, tragoedia
tantum;

et male interpretatur: „rostrum, persona tragica; personae tragicae ingentes erant, ut omnis tragica supellex.“ Melius librorum vestigia sequimur, si scribimus:

277) Gronov. ad Gell. XV, 13: „claruit circa tempora Pomponii, ut haurire est ex Macrobio.“

nec unquam vidit haec rostrum tragoedia
tantum Titi

vel aptiore numero:

nec unquam rostrum vidit haec tragoedia
tantum Titi,

et explicamus rostrum cum Nonio, qui dicit: „hominis dici, non debere, consuetudo praesumsit,“ os, i. e. tantum facundum et argutum os ne Titii quidem tragoedia vidit, ne Titius quidem in tragoediis personas suas tam argute loqui fecit. Qui Titius, ut e loco Ciceronis mox laudando apparet, argutiis et in orationibus, et in tragoediis suis plurimum uti solebat, quod hoc versu Novius fortasse tangit, ambigua voce rostrum tragicum rhetoricantem significans. Etenim si quaeritur, quis ille Titus sive Titius fuerit, erunt fortasse, qui dicant, Livium Andronicum subintelligendum esse, freti testimonio Hieronymi, qui in Eusebii Chronico ei praenomen Tito fuisse tradit [278]). Sed contra hanc opinionem facit, quod recte disputavit Osann. Anal. Crit. p. 20: „unde Titi fluxerit praenomen, apertum, nemo autem „non intelligit, hoc praenomen a Tito Livio, historiarum „scriptore, sumptum esse, quod utrum Hieronymi lapsui, an „scribae sedulitati debendum sit, incertum est.“ Rectius igitur locum ad C. Titium oratorem et poetam tragicum referimus, qui teste Cicerone Brut. c. 45 circa tempora L. Crassi et C. Marii vixit: „Eiusdem fere temporis, inquit, fuit eques Romanus „C. Titius, qui, meo iudicio, eo pervenisse videtur, quo potuit „fere Latinus orator sine Graecis litteris et sine multo usu per„venire. Huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplo„rum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae „esse videantur. Easdem argutias in tragoedias, satis ille qui„dem acute, sed parum tragice transtulit. Quem studebat imi„tari L. Afranius poeta.“ Quodsi igitur locus sanus est, patet Novium aut parem aut supparem Titio fuisse, circa annos, ut vidimus, 650 — 670 U. c. florenti. Haec temporis ratio etiam causa est, quod illud fragmentum, quod in edd. Pariss. et Plant. Turpilio datur (in ed. Ven. non bis Pedio inveni, quod No-

278) Voss. de Histor. Lat. III, 12 p. 827.

vius in Pedio sine dubio significat), cum ceteris libris Novio potius adscripsimus; Turpilium enim eo ipso tempore, quo Titius floreret, admodum senem mortuum esse, scimus ex Hieronymo in Euseb. Chron. ad Olymp. 169, 3 = 653 a. U.: „Turpilius comicus senex admodum Sinuessae moritur."

Novium non ignobilem fuisse poetam, testatur Macrob. l. c., qui eum **probatissimum** Atellanarum scriptorem ait, et Imperator M. Aurelius, qui ad Frontonem scribit, se studii causa Novianas Atellaniolas excerpsisse [279]. Foede tamen et obscoene dictis inquinasse eum fabulas suas, discimus e Tertull. de pallio c. 4 p. 4 ed. Commel. Grammatici citant plus quadraginta eius fabulas. De nonnullis potest dubitari, num sint Novii, an Naevii, an Livii, quum eorum nomina ob litterarum similitudinem saepe permutentur in libris scriptis et typis excusis. Nescimus quoque, num praeter Atellanas alias etiam fabulas scripserit; de Rhinthonicis eius fabulis iam supra locuti sumus, de ceteris nunc videamus:

I. Atellana fabula diserte nominatur:

1. **Parcus**, a Gellio XVII, 2: „Novius in Atellana, quae Parcus inscripta est."

II. Oscas personas in capite gerunt:

2. **Bucculo.**
3. **Duo Dossenni.**
4. **Macci.**
5. **Maccus caupo.**
6. **Maccus exul.**
7. **Pappus praeteritus.**
8. **Sanniones.**

His addimus fabulam, quae inscripta est:

9. **Mania medica**, cf. supra p. 43.

---

279) Fronto ad M. Caes. II, 3 p. 55 ed. Mai.: „Ego istic noctibus studeo, „nam interdiu in theatro consumitur. Itaque minus ago vespere fatigatus, luce „dormitans. Feci tamen mihi per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque „tomis, sed cum legis sexaginta [„vix dubito, quin **sexaginta** delendum sit, ut„pote ex praecedentibus repetitum" Mai.], inibi sint et novianae et atellaniolae [„num dicendum Novianae Atellaniolae, quoniam Novius apud Macrob. Sat. I, 10 probatissimus dicitur Atellanarum scriptor?" Mai. Fort. legendum **et Novianae et Pomponianae Atellaniolae**] „et Scipionis oratiunculae, ne „tu numerum nimis expavescas." Cf. etiam Front. ad M. Caes. IV, 12, ubi M. Aurelius haec scribit: „Libris Aristonis propitiatis paulisper quiescere conce„dam, meque ad istum histrionum poetam totum convertam, lectis prius ora„tiunculis Tullianis." Ad quem locum Mai.: „puto Plautum aut Novium."

et fullonias fabulas:

10. Fullones feriati.

11. Decuma, ut videtur eiusdem argumenti, quam Pomponii Decuma Fullonis.

III. Fabulae, in quibus rustica materia tractata videtur:

12. Agricola.
13. Bubulcus Cerdo.
14. Gallinaria.
15. Vindemiatores.

IV. Fabulae, quibus cetera indicia desunt, quarum vero argumenta Pomponius etiam, ut e titulis aequalibus apparet tractavit:

16. Dotata.
17. Praeco posterior.

V. Fabulae, quarum neque tituli, neque fragmenta indicium aliquod praebent:

18. Equuleus.
19. Funus.
20. Gemini.
21. Malevolus s. Malevoli.
22. Milites Pometinenses.
23. Mortis et Vitae Iudicium.
24. Optio.
25. Pedius.
26. Picus.
27. Quaestio.
28. Surdus.
29. Tabellaria.
30. Togularia.
31. Virgo praegnans.
32. Zona.

VI. Fabulae, quarum tituli non satis constant:

33. Asinius
34. Depathici.
35. Philonicus.
36. Liciniaria.
37. Tripertita.

VII. Rhinthonicae fabulae:

38. Andromache.
39. Phoenissae.

VIII.:

40. Exodium.

IX. Fabulae, quarum Graeci tituli prodere videntur, eas palliatas fuisse:

41. Colax, quem cum Hermanno Naevio potius vindicamus.

42. Hetaera.

E titulis quarundam fabularum Titinii et Afranii conclusi olim, utrumque togatarum poetam Atellanas etiam scripsisse[280]; citatur enim a Nonio ientare p. 176, 10 Afranii Bucco adoptatus, et ab eodem fuam p. 111, 10, argutari p. 245, 31, comest p. 81, 14 et saepius Titinii Fullonia et Fullones. Stephanus quidem Afranii fragmentum inter incerta refert, nimirum Bucconem a togatarum scriptore alienum putans, sed non video, quid Afranium impediverit, quominus etiam Atellanas scriberet. Titinii Fullones, ut libenter concedo, etiam togata esse potuit; nam Laberius etiam Fullonem scripsit, quam fabulam mimum fuisse, pro certo habeo e Gell. XVI, 7: „Laberius in Mimis, „quos scriptitavit, oppido quam verba finxit praelicenter — et „quod in Mimo ponit, quem Cophinum inscripsit: manuatus est, „pro furatus, et item in Fullone furem manuarium appellat.“

Viri docti etiam Fabium Dossennum Atellanarum poetam perhibent; quo iure, videamus. Dossennus, sive ut scribitur etiam, Dorsennus, citatur primum ab Horat. Epist. II, 1, 168:

adspice, Plautus
quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
ut patris attenti, lenonis ut insidiosi,
quantus sit Dossennus edacibus in parasitis:
quam non adstricto percurrat pulpita socco.

Erant, qui hic non poetam, sed comicam quandam Plauti personam intelligerent; plurimi autem interpretes, et recte quidem, ut ego censeo, Horatium Dossennum poetam, commemoratum etiam a Plinio et Seneca, tangere putant. Quae sententia si vera est, videtur Dossennus potius palliatarum, quam Atellanarum poeta fuisse. Comparat enim hoc toto loco Horatius Romanos poetas cum Graecis; laudat illos, quod Graecos imitari

---

280) De L. Pomponio p. 57.

„superandae sunt ex tempore agentibus, quae ipsa res in causa „fuisse videtur, ut scriptas edere fabulas Atellanas aggressi „sint poetae. Sed longe alia fuit Saturae antiquissimae ratio, „quam Livius VII, 2 exodium appellatam et fabulis potissimum „Atellanis consertam esse narrat. Nam ridicula ista versibus „intexta quum more antiquo iactarentur, nullis vinculis prae„pediti libere excurrere et animi impetum sequi poterant acto„res, quo in lusu quanta fuerit gratia, quantus lepor, facile in„telligitur; Itali enim hodie etiam iocis et facetiis redundant et „mira quadam versus ex tempore fundendi facultate praediti „sunt. Ridicula illa semper ex tempore acta fuisse mihi viden„tur, itaque quum Atellanis conserta essent, in magna utrius„que generis similitudine et cognatione fatisfieri potuit iis, qui „quererentur, in scriptis fabulis quodammodo imminutam esse „antiqui lusus gratiam et dulcedinem. Id primum sensisse Pom„ponium et Satura antiqua fabulis Atellanis conserta aequalium „desiderio ac voluntati occurrisse, si statuimus, profecto non „est, quod diutius, qua in re operis ab eo inventi novitas po„sita fuerit, dubii circumspiciamus.“

Confiteor, me sententiam eius non ab omni parte intelligere. Haec mihi sentire videtur: Postquam Livius Andronicus argumento fabulam serere coeperat, iuvenes Romani antiquo more versibus ridiculis iocabantur, quae nugae deinde Atellanis ex tempore actis additae sunt. Colligo, hanc esse eius sententiam e loco de Exod. p. 22, ubi dicit: „In Atellanis enim, „quamquam argumento serebantur, tamen quum initio ex tem„pore agerentur, non ita dispositas fuisse res atque inter se „cohaesisse verisimile est, ut non interdum aliquid desiderare„tur. Atque ad eiusmodi quasi lacunas explendas, ut haberent „spectatores, quo interim animos oblectarent, ridicula inserta, „ubi vero usus hoc non exigebat, in fine mihi acta videntur.“ In loco vero supra citato e Dissertat. de Vellei. statuere mihi videtur, ridicula ex tempore acta remota esse, quum Atellanae edi coepissent, a Pomponio vero denuo instaurata et scriptae Atellanae primum addita esse. Fabulae Atellanae ob maiores difficultates superandas subitae actionis gratia maxima ex parte destitutae erant, quapropter poetae Atellanas scribere aggressi sunt. Iam quum scribi Atellanae coepissent, illa ex tempore

iactitata ridicula desiisse nobis fingamus non sine dolore spectatorum, qui quererentur, in scriptis fabulis quodammodo imminutam esse antiqui lusus gratiam et dulcedinem. Itaque Pomponius aequalium desiderio et voluntati occursurus Saturam antiquam, i. e. ludum istum iuvenum liberum et antiquum fabulis suis Atellanis scriptis tanquam exodium addidit, idque fuit eius inventum novum opus, quo eum commendabilem dicit Velleius. Primum non animadvertit, illi plebis desiderio et voluntati satisfactum esse Mimis, qui, ut Festus ait, in orchestra prodibant, dum intus actus fabulae componerentur, cum versibus obscoenis, quod iam M. Catonis et Africani temporibus vel ante eos factum esse probavit Stievius l. c. p. 50. Deinde non video, quomodo illa iuvenum ridicula, quae exodia fuerint Atellanarum, Velleius opus Pomponii dicere possit, nisi Schoberus contendat, Pomponium has antiquas, ut ait, Satiras litteris composuisse. Et fortasse testimonii causa proferet Satiram, quam Pomponium scripsisse, e Prisciano p. 679 et 726 Putsch. scimus. At tum iam potuissent spectatores etiam queri, in scriptis Satiris quodammodo imminutam esse antiqui lusus gratiam et dulcedinem; neque video, quomodo, quum neget, eum, qui primus Atellanas scripserit, inventorem dici posse, nobis persuadere velit, Pomponium Satiras scribentem recte inventorem dici, praesertim quum iam ante eum Ennius, Pacuvius aliique Satiras scripserint. Contendet fortasse, novitatem operis non in scriptis Satiris, sed in coniunctione Atellanae et Satirae quaerendam esse. At ex ipsius sententia olim iam cum tragoedia [275]), et deinde cum Atellana ex tempore acta coniunctae erant, neque potest restitutor antiquae rei inventor novi operis dici. Huc accedit, quod Novius, quem tamen ante Pomponium vixisse putat, etiam Exodium scripsit [276]). An dicet, Novium et Pomponium pares. Noviumque in scribendis exodiis imitatorem Pomponii fuisse? Quae si contenderet, non video, cur neget, quod ego volui, utrumque parem fuisse, Novium vero Pomponium secutum esse in scribendis Atellanis. Iam si statuimus, id quod etiam Schoberi sententia esse videtur, Pom-

275) Schob. de Exodiis p. 21.

276) Apud Non. 39, 27; 96, 19; 116, 24; 245, 29; 575, 24.

ponium Satiras non scripsisse, sed curasse modo Atellanis suis scriptis iocos iuvenum antiquo more ex tempore fusos tanquam exodia addendos, iam Velleius summae absurditatis accusandus erit, qui Pomponium commendaverit ob novum inventum opus, quod non opus Pomponii, sed aliorum, non novum, sed perantiquum, non inventum, sed instauratum fuerit. Ceterum non puto, poetae fuisse, sed aedilis, vel quis alius ludos scenicos ederet, de ordine et generibus spectaculorum statuere. Quare non possumus, quin iudicemus, Schoberum haec quoque inconsiderate coniecisse, neque aliter fieri potest, si in re vaga et dubia, quod simplicissimum est, respuimus. Talibus saltem sexcentisque aliis coniecturis, quas proferre non multi laboris est, rem incertam non certiorem reddimus.

Pomponium foecundissimum poetam fuisse, probat numerus fabularum, quarum plus sexaginta titulos nobis veteres auctores servaverunt. Ut melius perspiciamus, quae ex his Atellanae fuerint, in certos quosdam ordines eas redigamus. Primum locum habeant eae fabulae, quas Atellanas fuisse, e disertis veterum testimoniis scimus:

1. Aedituus, apud Gell. XII, 10: „Pomponii fabula Atellana est, quae ita inscripta est: Aedituus."
2. Kalendae Martiae, apud Macrob. Sat. VI, 4: „sed haec ab illo fluxerunt, quod Pomponius in Atellana, quae K. M. inscribitur, ait."
3. Maevia, apud Gell. X, 24: „venit ecce illius versus Pomponii in mentem, qui est ex Atellana, quae Maevia scribitur."
4. Porcetra (Porcaria apud Non.) apud Gell. XVIII, 6: „nam de porcetra sane habet auctorem Pomponium in Atellana, quae hoc eodem vocabulo inscripta est."
5. Galli Transalpini apud Gell. XVI, 6 et Macrob. VII, 9: „Pomponius, Atellanarum poeta, in Gallis Transalpinis — hoc scripsit;" Non. bident. 53, 23: „Pomponius in Atellana."

Secundo loco ponamus eas fabulas, quae Oscas personas in capite gerunt, quae igitur quin Atellanae fuerint, non dubitandum est:

6. Agricola sive Pappus Agricola.
7. Bucco adoptatus.
8. Bucco auctoratus.
9. Hirnea Pappi.
10. Maccus.
11. Macci gemini.
12. Maccus miles.
13. Maccus sequester sive equester.
14. Maccus virgo.
15. Pappus praeteritus.
16. Sponsa Pappi.

His addimus etiam fabulam, quae inscribitur:

17. Pytho Gorgonius; cf. supra p. 41.

et fabulas fullonias:

18. Decuma Fullonis.
19. Fullo sive Fullones.

Tertius locus sit iis fabulis, quarum fragmenta Oscas personas produnt:

20. Aruspex s. Praeco rusticus: „Fac, Bucco, puriter uti tractes."
21. Campani: „Dato Dorsenno et fullonibus publicitus cibaria."
22. Philosophia: „Ergo, mi Dossenne, quum istaec memore meministi, indica."
23. Pictores: „Pappus hic medio habitat senica, non sescunciae.

Quartus iis, quas Atellanas fuisse ob res aut personas rusticas, quas vel tituli vel fragmenta prodant, verisimile est:

25. Aleones: „At ego rusticatim tangam, urbanatim nescio."
26. Asina s. Asinaria.
27. Capella.
28. Ergastulum: „Longe ab urbe villicari, quo herus rarenter venit, etc."
29. Placenta: „Rustici edunt libenter pedibus tritos acres intybos."
30. Rusticus.
31. Sarcularia.
32. Vacca s. Marsupium.
33. Verres aegrotus.

Quintus iis, quibus cetera indicia desunt, quarum vero argumenta Novium quoque tractasse ex aequalibus titulis apparet:

34. Dotata.
35. Praeco posterior.

nal. IV, 14: „variis dehinc et saepius irritis praetorum questi„bus, postremum Caesar de immodestia histrionum retulit: „multa ab illis in publicum seditiose, foeda per domus tentari: „Oscum quondam ludicrum, levissimae apud vulgum oblectatio„nis, eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum „sit coercendum; pulsi tum histriones Italia." Edictum hoc erat C. Asinio, C. Antistio Coss., nono Tiberii Caesaris anno, 776 a. U. = 23 p. Chr. Huc trahendus etiam Strabonis locus, supra citatus, e quo patet, Strabonis, quem post annum 777 a. U. mortuum esse constat, aetate Oscum ludum in scena Romana stetisse. Itaque verisimile est, non ita diu post Augusti mortem intra annos 768 — 776 denuo suscitatam esse Atellanam. Ideo etiam Memmium sive Mummium, nam fluctuant libri, circa hoc tempus vixisse, contendere non dubito[282], quippe quem Macrobius Atellanae restauratorem perhibeat. De Memmio ipso praeterea nihil nobis traditum est, et pauca solummodo fragmenta ex eius Atellanis Grammatici citant. Titulum unius fabulae: Iunius, de qua supra egimus, servavit nobis Charis. Inst. I, p. 118. Caveamus tamen, ne e rara Memmii commemoratione colligamus, pauca tantummodo eum scripsisse. Solent enim omnino Grammatici auctorum seriorum, qui sub Imperatoribus scripserunt, rarius uti testimoniis, quippe dubiae auctoritatis, quod de Memmio diserte dicit Nonius voc. clivus p. 194, 31: „Clivus generis masc. ut plerumque, neutri „apud Memmium invenimus, cuius auctoritas dubia est." Discimus etiam ex hoc et Charisii loco supra citato Memmium veterem sermonem in Atellanis suis imitatum esse.

Haec recentior Atellana eo magis veterem irridendi modum recuperasse videtur, quo maiorem carpendi materiam et principum et populi vitia praebuerunt. Itaque non mirum est, eam Caesaribus non nimis placuisse. Frustra tamen eius mordacitati oppugnaverunt, quam ne gravissimis quidem poenis coercebant. Etsi enim Tiberius, ut vidimus, histriones exilio multaverat, tamen denuo sub Caligula Oscus ludus in scena viguit, non magis, quam antea, principibus parcens. Nam ex Suetonio Cal. 27 scimus, Caligulam Atellanae poetam ob ambigui

---

282) De L. Pompon. p. 45. not.

ioci versiculum media Amphitheatri arena igni cremari iussisse, quod non impedivit Datum, Atellanarum histrionem, quominus Neronem parricidam demonstraret; Suet. Ner. 39. Quam audaciam Nero ita punivit, ut histrionem urbe Italiaque submoveret vel contemtu omnis infamiae, vel ne fatendo dolorem irritaret ingenia. Neque Galbae avaritia Atellanarum notam effugit, ut idem Suetonius narrat Galb. 12.

Iam his temporibus factum etiam videtur, ut Atellana, antea a viris eruditis ut ludicrum leve et rude contemta et neglecta, ob antiquitatis studium, quod istius temporis mos exigebat, magis foveretur. Certe Petronii Arbitri aetate, si quis Romanarum litterarum se studiosum profitebatur, neglectis Graecis, Latinae poeseos, inprimis Atellanae, insignem amorem favoremque affectabat. Hinc Trimalchionem ridet, hominem barbarum et insulsum, doctrinam tamen et eruditionem simulantem, ut tales homines ex humili loco subito divitiis suis in altiorem provecti solent, quem coram convivis suis gloriantem facit, se Comoedos emisse et maluisse illos Atellanam facere, et Choraulem iussisse Latine cantare [283]. Docet nos etiam Petronius, quemadmodum tales homunciones veterum poetarum carminibus delectentur, et quam perverse studeant, quod ipsi aut male aut omnino non intelligant [284]: „Servus, narrat, qui „ad pedes Habinnae sedebat, iussus, credo a domino suo, pro„clamavit subito canora voce:

„interea medium Aeneas iam classe tenebat
„certus iter.

„Nullus sonus unquam acidior percussit aures meas; nam prae„ter errantis barbariem, aut abiectum aut diminutum clamorem, „miscebat Atellanicos versus, ut tunc primum me etiam Virgi„lius offenderit. Lassus tamen quum aliquando desiisset, ad„iecit Habinnas: et num quid didicit? Sed ego: ad circulatores „eum mittendum audiebam. — Itaque parem non habet, sive „muliones volet, sive circulatores imitari. Desperatus valde in„geniosus est: idem sutor est, idem cocus, idem pistor, omnis

283) Petron. Satyr. 53 ed. Burm.
284) Petron. Satyr. 68 ed. Burm.

„Musae mancipium.“ — Fuerunt tamen etiam, qui non ostentationis causa, sed ob verum antiquitatis amorem veteribus poetis operam darent, praesertim quum sua tempora praeclarorum ingeniorum sterilissima essent. Sic legimus in Ael. Spartiani Hadr. c. 26, Imperatorem Hadrianum in convivio tragoedias, comoedias, Atellanas sambucas, lectores, poetas pro re semper exhibuisse, et Imperatorem M. Aurelium studii causa Novii Atellaniolas excerpsisse, iam supra narravimus. In scena etiam Atellana et in Urbe et extra Urbem una cum Mimo et Pantomimo porro stetit. Sic e. g. Iuvenalis Sat. III, 171 sqq. noti exodii meminit, festis diebus in oppido coram rusticis spectatoribus editi; sed, ut iam supra exposuimus, pro certo dici non potest, num exodium illud Atellana fuerit. Idem Urbicum quendam Romae gestibus suis in Atellanico exodio populi risum movisse memorat Sat. VI, 71:

> Urbicus exodio risum movet Atellanae
> gestibus Autonoes, hunc diligit Aelia pauper.

De Urbico dubitant interpretes, nam nomen proprium Atellani histrionis sit, an cognomen a Iuvenale fictum, qua urbanitatem, qua usus sit in iocando, significaret. Certi aliquid erui non potest. Mihi verisimilius videtur, Urbicum nomen fuisse mediocris histrionis, qui vili pretio muliebribus morem gessit, neque dissentiam ab iis, qui Urbicum eundem dicunt, quem Martialis Epigr. I, 42, 11 [285]) non optimum poetam tradat, quemque quippe minime urbanum vilissimae plebis turbae adnumeret. Talem paupere Aelia omnino dignum fuisse, quis est, qui neget?

Notum est, post medium secundum seculum a Christo nato novam comoediam ad mimicam solam artem recidisse, quod testatur M. Antoninus Philosophus de rebus suis XI, 6: „*καὶ λοιπὸν ἡ νέα* (sc. *κωμῳδία*) *ἡ κατ᾽ ὀλίγον ἐπὶ τὴν ἐκμιμήσεως φιλοτεχνίαν ὑπεῤῥύη*. Iam igitur solis mimis, pantomimis et Atellanis scena Romana relicta erat. Quae genera, quo mi-

---

285) Urbanus tibi, Caecili, videris.
Non es, crede mihi, quid ergo? verna es.
hoc quod Transtiberinus ambulator. —
quod non optimus Urbicus poeta.

nus pristinae artis et elegantiae, eo plus lasciviae et impudicitiae ostendebant, quod patet e loco Tertulliani de Spectac. c. 17 ludos scenicos sui temporis[286]) his verbis describentis: „similiter impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro separamur, quod est privatum consistorium „impudicitiae, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius de spurcitia plurimum concinnata „est, quam Atellanus gesticulator, quam Mimus etiam „per mulieres repraesentat, sexum pudoris exterminans, ut facilius domi, quam in scena erubescant, quam denique Pantomimus a pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit.“ Cum quo loco comparandus est Arnobius advers. gent. VII p. 227 sq. ed. Stewech.: „delectantur, ut res est, stupidorum capitibus rasis, salapictarum sonitu atque plausu, factis et dictis „turpibus, fascinorum ingentium rubore. — Haec si diis immortalibus oblivionem afferunt simultatum, si ex comoediis, Atellanis, mimis ducunt laetissimas voluptates; quid moramini, quid „cessatis, quin et ipsos dicatis deos ludere, lascivire, saltare, „obscoenas compingere cantiones et clunibus fluctuare crispatis?“ Mea quidem sententia tum vix quisquam scribendis Atellanis operam dedit, neque magis veteres Atellanae editae sunt, sed ludus in subitam actionem, unde ortus est, denuo rediit, turpibus dictis, obscoenisque cantibus, prae ceteris vero ridicula gesticulatione insignis. E vetere more Atellani tum quoque in fine ludorum intrabant, unde Exodiarios eos vulgi sermo appellavit. Quod nomen quarto seculo unice in usu fuisse videtur, Atellanorum enim nomen apud huius et sequentis aetatis scriptores frustra quaeres. Legimus primum Exodiarii nomen apud Ammianum Marcellinum XXVIII, 26; ubi de rudibus plebis moribus, quales fuerint Valentiniani aetate, queritur: „Unde „si ad theatralem ventum fuerit vilitatem, artifices scenarii per „sibilos exploduntur, si qui sibi aere humiliorem non conciliaverit plebem. Cui si defuerit strepitus, ad imitationem Tauricae gentis peregrinos vociferantur pelli debere, quorum subsidiis semper nisi sunt ac steterunt, et tetris vocibus et absurdis, quae longe abhorrent a studiis et voluntate veteris illius

286) Mortuus est Tertullianus anno p. C. 220.

„plebis, cuius multa facete dicta memoria loquitur et venusta. „Id enim nunc repertum est pro sonitu laudum impensiore per „applicatos homines ad loquendum, ut in omni spectaculo ex„odiario, venatori, aurigae et histrionum generi omni et iudi„cibus celsis itidemque minoribus, nec non etiam matronis cla„metur assidue: Per te ille discat; quid autem debeat disci, ne„mo sufficit explanare." Huic loco adde Inscript. apud Grut. p. 637, n. 1. Inde factum est, ut Ioh. Lydus, quem Iustiniani tempore vixisse constat, Atellanam ita explicet, ut dicat, eam esse *τῶν λεγομένων ἐξοδιαρίων*. i. e. similium scurrarum, qui suo tempore Exodiarii dicti sint, neque aliter Scholiast. Iuven. ad Sat. III, 175 verbo utitur.

Iam his temporibus vix discrimen aliquod inter Exodium sive Atellanam et Mimum fuisse puto, ita, ut omnis scenicus ludus solis Mimis et Pantomimis constaret. Mimi argumenta verbis, pantomimi solis gestibus et mutis motibus exprimebant[287]); Mimi minus artis et minorem apparatum scenicum exigebant, quippe qui iocosa fabularum argumenta subita actione ostenderent. Neque his stabiles personae ab antiquitate hereditate acceptae deerant, nomine tamen et moribus cum tempore mutatis, ut illarum Oscarum personarum similiumque palliatarum praeter generales characteres stupiditatis, astutiae, avaritiae, libidinis, et vestigia aliqua veteris apparatus, non imaginem, sed quasi umbram referrent. Pantomimi, quorum actus et maiorem artem et fastuosiorem apparatum desiderabant, urbium theatris, mimi pagorum et oppidulorum potius scenae subitae conveniebant; itaque quum theatra, ut Augustinus prodit[288]), per omnes civitates caderent, pantomimis Roma unicum refugium erat. Ibi postea Theodorici inprimis, Gothorum regis, favore, ut in Cassiodoro legimus[289]), colebantur. Sed quum

287) Ioh. Lyd. de Mag. I, 40: *μιμικὴ — λόγῳ μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι*. — August. de Magist.: „histriones quasdam in theatro fabulas sine ver„bis saltando plerumque aperiunt et exponunt. — Primis temporibus saltante „Pantomimo praeco pronunciabat populis Carthaginis, quod saltator vellet intel„ligi. Quod adhuc multi meminerunt senes, quorum relatu haec solemus audire. „Quod ideo credendum est, quia nunc quoque, si quis talium nugarum imperitus „intraverit, nisi ei dicatur ab altero, quid illi motus significent, frustra inten„tus est."

288) De con. sen. I, 33.

289) Cassiod. Epist. I, 20.

Urbe a Totila expugnata et diruta, Romana etiam theatra cecidissent, Pantomimorum ludus desiit. Restabant igitur soli Mimi, quod diserte testatur Ioh. Lydus l. c.: μιμικὴ ἡ νῦν δῆθεν μόνη σωζομένη, τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐδὲν, λόγῳ μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι. Lydum autem Philadelphiae in Asia Proconsulari Flavio Longino, Flavio Fausto Iuniore Coss. p. Ch. 490 natum, et prope octonarium circa annum 570 mortuum esse scimus; cf. Has. Praef. ad Lydum; Reuvens. Collect. p. 22. Mimos vero istos simplicissimos fuisse sine cantu et saltatione, sine artificioso argumenti nexu, iocis plerumque et nugis ex tempore pedestri sermone fusis compositos, colligo e Lydi verbis: τεχνικὸν ἔχουσα οὐδέν.

Ita Mimi non solum imperii, sed etiam nominis Romani superstites, e tota veterum scenica arte soli manserunt, et iam quum sub finem XV seculi eruditi viri et veterum poetarum comoedias in suum sermonem translatas, et fabulas non sine veterum imitatione recens compositas ederent [290]), mimi in tabernas relegati tanquam plebeculae oblectatio, inculti iacebant sub nomine commedie dell' arte, quia omne studium scriptis comoediis, commedie erudite, dedicatum est. Tandem huic Italae Atellanae alter Pomponius exstitit, Angel. Beolcus Ruzzante, Patavinus, qui medio XVI sec. rudem antea ludum in artem mutavit [291]).

290) Plautum et Terentium transtulerunt Dux Ferrariensis Ercole I et Ludov. Ariosto; propriis comoediis veteres imitati sunt: Bern. Divizio da Babiena, Cardin., Ariosto et Macchiavelli; cf. Guil. Müller *Rom* II p. 115 sq. Saggio storico-critico della commedia italiana ed. Prof. Salfi; german. ab Alph. Reumont 1830.

291) Riccob. apud Lessing. *Theatralische Bibl.* II p. 180: Sepultus est Patavii in aede Divi Danielis iuxta pratum Vallis, anno Dom. MDXLII, Mart. Cui Ioan. Bapt. Rota noster, ei summopere affectus, hanc monumenti inscriptionem constituit:

V. S.
Angelo Beolco Ruzanti Patavino
nullis in scribendis agendisque Comoediis
ingenio, facundia, aut arte secundo
iocis et sermonibus agrest.
applausu omnium facetiss.
qui non sine amicorum moerore vita
decessit ann. Dom. MDXLII
die XVII Martii
aetatis vero XL.

Post hunc virum hoc fabularum genus in pristinum contemtum recidit, quod vero post ducentos annos poeta ingeniosissimus, Carolus Gozzi, alter Memmius, denuo multo cum applausu suscitavit [292]**.**

---

292) Guil. Müller l. c. II p. 122: „*Zu welch hohem Grade eigenthümlicher Kunstbildung das nationale Maskenlustspiel zu steigern wäre, hatte schon um die Mitte des 16. Jahrhunderts der Paduaner Angelo Beolco Ruzzante gezeigt, aber er blieb bis auf Gozzi ohne Nachfolger. Die dramatischen Volksmährchen dieses Dichters sind ohne Zweifel das Geistreichste, was die italienische Bühne jemals dargestellt hat.*"

ATELLANARUM POETARUM FRAGMENTA.

I.

L. Pomponii Bononiensis Atellanarum poetae fragmenta.

Adelphi:

apud Non. datatim p. 96, 17:

quod ílle dicit, quúm datatim in lécto tecum lúsi [1]).

apud Fest. Seplasia p. 250 Lindem.:

[Seplasia] aut [Seplasium, ubi unguentum] memoraba[tur pretiosum. Pomponius] in Adelph[is: Di te perdant in]feri Anti[pho, quia unde hoc unguen]tum si[t, quaeris; atqui lepidum] unde ung[uentum, nisi ex Seplasia est] [2]).

Aeditumus:

apud Gell. XII, 10: „Aeditimus verbum Latinum est et vetus, ex forma dictum, qua finitimus et legitimus. Sed pro eo a

---

1) Datatim ludere proprie pila ludere, Plaut. Curc. II, 2, 17; Isid. Orig. I c. 25, cf. Funcc. de adolesc. L. L. p. 314; hoc loco obscoeno sensu.

2) Pauca verba genuina sunt, nam quae uncis inclusi, coniectando restaurata sunt. Bothius versus ita dedit:

„Di te perdant inferi,
quia quaeris, Antipho, unde hoc unguentum siet;
atqui lepidum, unguentum unde, nisi ex Seplasia est.“

Possis etiam ita scribere:

Dí te perdant ínferi, Antiphó, qui, unde unguentum hóc siet,
quaéris; atqui lépidum est, unde unguéntum, ni ex Seplásia est.

Dübner. in recens. libelli mei de L. Pomp. *Jahrbücher für Philol. V Jahrg. 2 B. 4 H. p.* 438. *Das* lepidum est *scheint dem Sinne zu widerstreben: da jedoch nur wenige Buchstaben an dieser Stelle alt, das übrige ergänzt ist, so kann Scharfsinn und Muse an derselben nur verschwendet werden.* — De Seplasia, foro Capuae, in quo merces vendebantur delicatissimae et elegantissimae cf. Varron. apud Non. p. 226. 17, Fest. sept., Plin. H. n. XVI, 10, XXXIV, 11; Pedian. ad Cic. in Pis. 11.

plerisque nunc Aedituus dicitur, nova et commenticia usurpatione, quasi a tuendis aedibus appellatus. — Pomponii fabula Atellana, quae ita inscripta est, Aeditimus, in qua hic versus est:

> quí tibi postquam appáreo atque aedítumor in templó
> tuo [3]).

apud Non. aedituor i. e. aedem tueor p. 75, 15:

> quí tibi postquam appáreo atque aedítumor in templó
> tuo,
> néc mortalis, néc mortalium úllum in terra míseriu' st [4]).

Agamemnon suppositus:

apud Non. expergisceret p. 473, 3:

> ne quís miretur, quúm tam clare tónuerit,
> ut, sí quis dormitáret, expergísceret [5]).

Agricola sive Pappus Agricola:

apud Non. manducatur, p. 477, 5:

> néscio quis éllam urget, quasi ásinus, uxorém tuam [6]);
> íta oculis opértis simitu mánducatur ác molit.

apud Non. ibus, i. e. iis, p. 486, 18:

> núnc quando voluísti facere, fác voluptatí sies
> íbus.

---

3) Ed. Ven. ibi pro tibi, et tua omisit. Vulgo qui postquam tibi. — Both.:

> qui póstquam appareó tibi atque aedítumor in templó tuo.

4) Fabulae titulus in Nonio est Aedituus, et infra aedituor. Ed. Sed. post templo non habet tuo et ullum omisit. Mortalis lectio edd. vett., vulgo sine sensu mortalibus. — Both. alterum versum sic dedit:

> nec ímmortalis, néc mortalium ést in terra míserius.

5) Vulgo miraretur, edd. vett. miretur.

6) Vulgo nescio qui sellam. Iun. inde fecit nescio quis ellam, quod in textum recepit Mercer. — Alterum versum libri exhibent: ita opertis oculis simul manducatur ac molet. Gothofr. apertis, sed opertis recte, ut monet Dübnèr l. c. p. 439: *Den Eseln wurden in den Mühlen die Augen verdeckt* (Appul. Met. IX p. 148 Bip. ut eram luminibus obtectis; p. 200 iuvenis faciem videre cupiebam ex summo studio, si tamen velamentum capitis libertatem tribuisset meis alioquin luminibus) *und der Ehebrecher hatte sich durch eine Verhüllung unkenntlich machen wollen, wie der bei der Müllerin des Appuleius* p. 204. — Alterum versum secundum Bothium dedi, in priore habet: nescio quis urget ellam, quâ asinus, u. t. — Molere, ambigue, sensu obscoeno, ut *μύλλειν* apud Graecos.

apud Non. genit. pro abl. p. 498, 5, et fervit p. 503, 8:

dómus haec fervit flágiti [7]. —

apud Non. desubito p. 517, 28:

volo scíre ex te, cur úrbanas res tám desubito déseris.

Aleones [8]:

apud Non. olat p. 147, 2:

⏑ ⏑ aleó ludam, sané meae male olánt manus [9].

apud Non. rusticatim p. 166, 30; tangere p. 408, 33:

át ego rusticátim tangam, úrbanatim néscio [10].

Annulus posterior:

apud Non. reperibitur p. 509, 10:

id, crédo, metuis, ne ínvidia desít tibi,
quum némo, qui a te récipiat, reperíbitur [11].

Aruspex vel Praeco rusticus:

apud Non. puriter p. 516, 18:

fac, Búcco, puritér uti tractes. — lávi iamdudúm manus [12].

---

7) Ed. Plant. flagitiis, rectius ed. Sed. flagiti, quod ex ipso Nonio p. 498, 5 liquet, ubi idem fragmentum, sed corruptum admodum legitur domus haec fuerit placiti.

8) Vossio de poet. Lat. p. 14 Pomponius hac fabula Alexidis κυβευτὰς expressisse videtur.

9) Versus non integer videtur; Both. correxit:
áleá non lúdam sane, né meae male olánt manus.

10) Hiatus in hemistichio non offendit.

11) Dedi vulgatam lectionem; ed. Ven. ne in iudicia desit; in ed. Sad. male tibi omissum est. Laurenb. Antiq. p. 384 habet qui a te accipiat. Both.:

„id credo metuis, ne tibi invidiae sit,
„fragmentum vulgatum ne invidia desit ita emendandum putat Mercer., ut „ponatur ne invidiae id sit tibi; sed versus claudicat, Possis etiam: ne „tibi invidia inde sit, quod scripturae priscae similius."

12) In titulo Bothii recepi emendationem, qui haec habet: „Nonius sic: „Pomponius Aruspice vel pectore rustico puriter fac uti tractes „etc. Sed profecto scribendum est vel Praecone rustico. Saepius a Mar„cello laudatur Pomponii Praeco posterior, quae fuerit altera huius fabula editio, „et derideri solent in hoc genere carminum rustici et provinciales." Ed. Brix. a. 1483 et Ven. habet fac puriter vel pectore rustico bucco vel fac uti etc.; edd. Pariss. fac puriter, Bucco, vel pectore rustico, uti etc. ed. Sed. vel pectore rustico, Bucco, puriter fac uti etc. Wouwer ad Petr. Sat. c. 105 p. 628 Burm. magno cum molimine:

Asina sive Asinaria:

apud Non. auscultare p. 246, 15:

atque aúscultare dísce, si nescís loqui [13]).

apud Non. festinatim p. 514, 3:

exsílui de nocte ád molam fullóne festinátim [14]).

Auctoratus sive Bucco auctoratus:

apud Non. insaniter p. 509, 30, Prisc. XV p. 1010:

métuo illum, iocári nescit, lúdit nimium insániter [15]).

apud Non. torviter p. 516, 14:

occídit taurum tórviter, me amóre sauciávit [16]).

apud Non. paribit p. 508:

sí praegnans non és, paribis núnquam - ⏑ ⏑́ ⏑ - [17]):

apud Charis. I p. 37 Putsch. ebria masc.:

„fac puriter vacca vel pecore rustico
intacto, lavi iamdudum manus;

facere vacca, ut Virg. Ecl. III, 77, nisi potius sic: fac — uti mactes.“ Palmerius:

fac puriter
Bucco vel pecorei rustico cutem tractes. N. lavi dudum manus.

Both. versus sic exhibet:

a. Bucco, púriter
fac út te tractes. b. lávi iamdudúm manus.

13) Ed. Ven. Asina. In edd. Pariss. Asia Ms. Asina, cf. Turneb. Advers. XXIX, 20; Lipsius epist. quaest. I, 18: „lego: Pomponius: asta atque ausc. Novum non est, ut fabulae nomen Nonius omittat.“ Rectius Mercer.: „Pomponianae titulus in libris Asina, vel ut infra s. v. festinatim Asinaria.

14) Ed. Plant. exsilivi. Bothius frustra mutat festinantius: „in libris habetur festinatim, quod neque sententiae convenit, et destituit versum.“ Festinatim tuetur Nonius ipse, qui ob id ipsum verbum versum citat; fullone exsiluit sc. cum quo cubabat: cf. Novii Virg. praegn. apud Non. p. 508, 10:

quando ego,
plus sapivi, qui fullonem compressi Quinquatribus.

Laurenb. Ant. p. 176: „exilivi de nocte ad molam fullonis festinatim.

15) Male in Nonii libris legitur Pomponio auctore: metuo etc. pro Pomponii Auctorato, quam veram lectionem Prisc. XV p. 1010 praebet, qui eundem hunc locum ex Auctorato citat. De Auctorato vid. Schol. Acr. ad Hor. Sat. II, 7, 59: „qui se vendunt ludo, auctorati vocantur, auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum;“ cf. Brisson. de Form. 8, 50.

16) Optime sic locum restituit Lipsius; vulgo enim legitur occidit t. t., me amores amavit. Ed. Plant. torviter, me amavit. Est scilicet narratio mulierculae, quae auctoratum ad bestias amare coepit, quod ex titulo comoediae liquet.

17) Bothius fragmentum ad Bucconem adoptatum refert.

neque ego Mémmius,
neque Cássius, neque súm Mimatius Ebria [18])

apud Charis. I p. 37, Prisc. V p. 642 Putsch.:
postquám conveni cónvivas omnés meas [19])

Augur:

apud Non. esuribis p. 479, 6:
immó mane;
non ésuribis diútius, quaré roga [20])

Bucco adoptatus:

apud Non. properatim p. 155, 1:
pergis properatim [21]).

apud Non. taxim p. 178, 19:
clándestino tácitus taxim pérspectavi pér cavum [22]).

apud Non. invenibo p. 479, 28:
saepe ánnuit, invenibit saepe ⏑́ ⏑ – [23])

---

18) Ita metri causa scripsi pro eo, quod in libris scribitur: neque ego sum M. neque C. neque M. e. — Both.:

„neque ego sum Memmius, neque Cassiu' nec Mimatius ebria

cum ebria pro nomine communi habet bonus vir Sosipater, ut verba assecla, conviva, vehementer fallitur. Mimatius ebria dictum haud dubie est ut fragilis Iulius Pediatia ap. Horat. Sat. I, 8, 39." — Ebria sive hebria i. q. bria, εἶδος ἀγγεῖον, genus vasi seu poculi, ut exponitur in Gloss. Philox., hic Mimatii cognomen est, ut recte observat Forcell. Lex. s. v. Bria.

19) In Prisc. legitur conveni omnes convivas meas.

20) Bothius: „quare eroga: Auguris ipsius verba haec videntur, nescio „cui splendidas fortunas vaticinantis; quare eroganda sit pecunia, ipseque va„tes munere donandus haud vulgari. Vel aliquis repente dives factus sive here„ditate, sive thesauro invento, aut insperata aliqua fortuna sic admonetur, ut „rem conviviis amoribusque dissipet ac perdat. Libri roga, quod vehementer „friget."

21) Both. perges properatim?

22) Ed. Ven. percautum; edd. Pariss. prospectavi periculum Ms. perspectavi perculum. Not. ed. Paris. 1583: „perspectavi percautum, Iunius in Ms. invenit perespectavit periculum, emendavit Guilelm. perculam; percula sive pergula ut glossae explicant ὑπερῷον στενὸν οἴκημα, Plin. H. n. XXI, 3." — Mercer. „per cavum, ita scripsi, quia libri percau„tum. Cavum pro foramine, ut in Horatio: mucra cavum repetes arctum; et „infra tacitus taxim, ut Varro Gerontod.: „„novus maritus tacitus taxim „uxoris solvebat cingulum"" et Modio: „„hanc eandem voluptatem tacitus taxim „consequi lapathio et ptisana possum."" — Both.: „malim prospectavi."

23) „Latet sub annuendo scurrilis nescio quis iocus, quo bucco deridetur" Both.

Campani:

apud Non. publicitus p. 513, 9:

dato Dórsenno et fullónibus
públicitus cibária [24])

Capella[25]):

apud Charis. I p. 59:

clypeum ín medium fixum est.

Citharista[26]):

apud Non. irascere p. 127, 7:

nóli, quaeso, iráscere:
móre fit, suám moriri quísque ut uxorém velit [27]).

Collegium:

apud Non. expalpare p. 104, 12:

sí quid expalpáre possim ab íllo – ⏑ ⏑́ ⏑ – [28]).

Concha[29]):

apud Non. eliminare p. 38, 33 et p. 292, 26:

vós istic manéte; eliminábo extra aedeis cóniugem.

Conditiones:

apud Non. edim p. 507, 6:

víx nunc quod edim invénio; quidnam fíet, si quam
dúxero [30])?

---

24) Ed. Ven. dat ordo semio; Edd. Pariss. et Plant.: dat ordo senio, Iun. coniecit dat ordo Senno. Mercer.: „datordoscuno ita libri, scil. pro dato Dorsenno.“ — Both.:

dató publicitus Dórsenno et fullónibus cibária.

25) Capellae nomíni tanquam dubio signum interrogandi addit Both.

26) Edd. Arista: Salmas. maluit Hetaerisca, ut sit eadem cum Prostibulo fabula. Iun. in Ind. ad Non. Synaristosae, συναριστῶσαι, quas e Menandro transtulisse Pomponium coniicit. Rectius Mercer.: „Citharista, ita feci e lectione Mss. et arista, nam vulgati Arista.“

27) Vulgo: more fit, moriri suam quisque uxorem ut velit.

28) Both.: „fortasse sed quid.“

29) Conca cod. Guelf. apud Seebode Miscell. crit. V, 1. — Edd. in priore loco Cantabit: istic, in altero Concavos: istic. — Iun. coniecit: Coena: vos istic m., ut apud Sosipatrum, non reputans Sosip. Charis. I p. 107 non nostri, sed Pomponii Secundi Coenam laudare. — Gothofr. conclavi in isto manete. — Turneb. Advers. XXIX, 17 putat, hic agi de clavo vestimenti, et translatitie de negotio aut re maximi momenti ac difficili, quae sine alterius opere praestari non possit. — Not. ed. Paris. 1583: „concha vos istic manet, pro coena vobis parata est, quod in mensa salinum ponere solent, Hor. Sat. I, 3.“

30) Stephan. omisit quam.

Cretula vel Petitor[31]**):**

apud Non. ominas p. 474, 9:

éveniat bene! — íta sit, et tibi béne sit, qui recte óminas [32]).

apud Non. forum p. 206, 17:

bálnea,

forús, macellus, fána, portus, pórticus.

Decuma sive Decuma Fullonis[33]**):**

apud Fest. temetum:

⏑ ⏑́ non multi témeti, sed plúrimi [34])

apud Non. tolutim p. 4, 7; tortor p. 105, 14; equuleus 182, 13:

ét ubi insilui in cóchleatum equúleum, ibi tolútim tortor [35])

Dives[36]**):**

---

31) Edd. vett. Cretula vel Petiture; ed. Ven. in curcula. Vel petiture; edd. Pariss. et Plant. Cretula: nil petiturae. Guilelm. Veris. I, 11, rectius: „Cretula vel Petitore, voluit enim hoc cognomine hanc distinguere „ab illa, quae Petitor Haeres inscribitur. Hanc emendationem adiuvant „illa verba, quae sequuntur: bene eveniat etc., quae verba sunt bene pre„cantis candidato et illius respondentis; nam creta sive cretula candidati vestes „candidas reddebant, Plin. Hist. nat. XXXV, 17."

32) Vulgo bene eveniat numero minus apto.

33) Spectat argumentum fabulae sine dubio ad veterum ritum, quo Diis ac praesertim Herculi frugum aliarumve rerum partem decimam vovere solebant; cf. Varr. apud Macr. Sat. III, 12. Ditioribus tum mos fuit, populum ad ἀσύμβολον pollucere et cum corona laurea cubitum dimittere; Macrob. ib. — Cicer. de Offic. II, 17: „Oresti nuper prandia in semitis Decumae nomine magno honore fuerunt."

34) Both. non multi, sed temeti plurimi.

35) Mercer. ad Non. tolutim p. 4, 7: „cocleatum, libri hic clocleatum, „in v. tortor cocleatum, in v. eculeus culeratum, ut fortasse verum sit, „quod Turneb. monuit (Advers. XVII, 21: „coleatum equuleum, ad canterii „dissimilitudinem hoc dicit;" coleatum Scaligeri coniectura est), sed alio sensu „(nimirum ut coleatus equuleus sit, quod alibi Pompon. coleatam cu„„„spidem dicit); fullonias omnes fabulas obscenis et rebus et verbis constare „omnes sciunt." — Iun. coniecit sceleratum. — Both.: „scripsi codicatum, „i. e. codicarium, sicut caudicatae habetur in vetustis libris apud Senec. de „Brev. vit. 13, quum appareat, non animal hic dici, sed machinam ligneam, „qua servi torquebantur." — Retinui cochleatum s. cocleatum, librorum vestigia sequens, et explico de machina illa, in qua erant plures cochleae, quibus immissi funes reorum membra distendebant torquebantque; cf. Forcell. Lex. s. h. v.

36) Libri habent Pomp. de vite, e quo fecit Iun. Pomp. Debita; rectius

apud Non. palumbi p. 219, 8:

quo palumbem unum ex ore tollit.

Dotata:

apud Non. efflictim p. 104, 24:

scío pol, te illam amáre efflíctim.

apud Non. paulisper p. 511, 31:

possum éxorare te, út recedas á me paulispér modo? —
quantísper sat habes? —

Ergastulum:

apud Non. rarenter p. 164, 27; 515; villicari p. 186, 2 [37]):

lónge ab urbe víllicari, quó herus rarentér venit,
nón est villicári, sed domonári mea senténtia [38]).

Fullo sive Fullones:

apud Non. fervat p. 504, 26:

fácite, ut ignis férvat, ligna instípite, far concídite [39]).

apud Non. complectite p. 472, 32:

quin érgo, quando cónvenit, compléctite! —
mi fráter salve! — ó soror salvé mea [40])! —

Both.: „Divite; divitis est comedere palumbes, quorum unum ex ore sumtum vel amico porrigit, vel pauperi esurienti."

37) Mercer. ad Non. rarenter p. 164, 27: „Pomponii locum habes infra voce villicari, quem scripsi ubique ut in libris. At infra in tractatu de indiscretis adverbiis idem locus affertur ex Trabeae Ergastulo et ibi villicarier." — Fabric. Bibl. Lat. Tom. III p. 238 ed. Ernest.: „laudare creditur Trabeam in Er„gastulo Non. c. 2, sed Pomponio bis asseritur in rarenter et villicari. Causa „erroris est, quod vocabulum trabes ad Ennii fragmentum revocandum: sed „quasi trabem, e quo fecerunt Trabeam Palmer. et alii. Sed et illa lectio „vitiosa est, et legendum trahere, ut etiam editur in Fragm. Ennii p. 242 ed. „Hessel. Pomponii nomen excidit, ut vidit Iun."

38) Vulgo nam longe ab urbe etc., sed nam deest in edd. vett. — In altero versu metri causa scripsi non est v., pro non v., sed d. est m. s. — Both. id non v., sed d. est m. s.

39) Pro instipite Scalig. ad Varron. de L. L. IV dedit insipite. — Guilelm. Veris. I, 11: „insipare, inquit, est iniicere, ut obsipare obiicere et aggerere; Plautus: obsipat aquulam; ut autem sonare, sonere; tonare, tonere, ita insipare, insipere promiscue inflectebant." — Instipare s. instipere non mutandum puto; nam etiam Graeci dicunt στοιβάζειν ξύλα ἐπὶ τὸ πῦρ.

40) Edd. Pariss. mi frater salus. De hiatu in penthemimeri a Plauto quoque admisso vid. Bentl. ad Terent. Eun. III, 1, 19; excusatur insuper personarum mutatione.

apud Fest. v. supparus p. 247 Lindem.:
[Pomponius i]n Fullonia[41]).

Galli Transalpini:
apud Gell. XVI, 6, Macrob. VII, 9, Non. bident. p. 53, 23:
Pomponius in Atellana:
Mars, tíbi voveo, factúrum, si unquam rédierit,
bidénti verre[42]).

Haeres Petitor:
apud Non. lavi p. 504, 23:
íta velim faciás, iam pridem vólui latrinám lavi[43]);
apud Non. ampliter p. 511, 18 et 234, 30:
heús aptate púeri munde atque ámpliter convívium[44])

Hirnea Pappi:
apud Non. verminari p. 40, 19[45]):
décumus mensis ést quum factum est, íta fit, ita sempér solet;
décumo mense démum turgens, vérminatur, párturit[46]).

Kalendae Martiae:
apud Macrob. Sat. VI, 4: sed haec ab illo fluxerunt, quod Pomponius in Atellana, quae K. M. inscribitur, ait:
vócem deducás oportet, út videantur múlieris
vérba. — iube modo ásferatur múnus, tenuem et tínnulam

41) Scaliger, quem sequitur Bothius, hic reposuit versum, qui vulgo paulo infra in Festo legitur:
mulier puella induta videtur supparo.

42) Apud Macrob. legitur rediero. — Both.: rediero Macrob. et recte; reliqui duo redierit. Facturum, facturum sacra, ῥέζειν." In Nonio ed. Ven. si nunquam redierit.

43) Vulgo iam pridem volo, scripsi volui metro et sensu postulante cum Bothio: „libri habent volo, quod non sufficit versui" — Turneb. Advers. XXI, 20: „latrinam lavere est in latrinam sive balneum privatum aquam „ferre, Plaut. Curc. IV, 4, 24 et Pomponius, quod quidem alio sensu quodam, „quam illud Plautinum dictum videtur."

44) Edd. Pariss. heus aptare pueri nunc munde etc.

45) Iun. Hadr.: „forte Hirnea, aut ut in expedibo Vernionibus." — Gothofr.: Papaea alii papae legunt."

46) Cf. Menandr. apud Gell. III, 16: γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος.

vócem ego reddam[47]). —

et infra:

étiam nunc vocém deducam.

Lar familiaris:

apud Prisc. VI p. 686:

⏑ ´ oro te, Básse, per lactés túas[48])

Leno:

apud Charis. I p. 60:

caseum molle

Maccus:

apud Non. attendere p. 238, 15:

quíd futurum est, sí pol hanc ego díscere artem atténderim[49])?

apud Non. foria p. 114, 12:

cónforísti mé, Diomedes[50])

Macci gemini:

apud Non. venibo p. 508, 23:

sero ést; venibo séxta, si tibí placet[51])

apud Non. accinge p. 469, 29:

iám ego hic ádero, dum égo revortor, áge, anus, accinge ád molas[52]).

---

47) Vulgo sine metro: vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. Iube modo afferatur munus, ego vocem reddam tenuem et tinnulam. — Bothius alterum versum sic dedit:

verba. iube modo adferatur munus; reddam ego tinnulam,

vocem tenuem interpretationem ἄμετρον dicens. Sed tenuem tuetur Macrob. ipse, qui ex hoc versu illud Virgilianum: deductum dicere carmen explicat: „deductum pro tenui et subtili eleganter positum est."

48) Bothius: „ridiculum genus obtestationis, quum orare soleant per „dextram, per genua, per fidem. Plaut. Rud. 639: at ego te per crura et talos tergumque obtestor tuum."

49) Vulgo sine metro si pol ego hanc.

50) Salmas. Exerc. Plin. p. 385 conforiasti legendum censet.

51) Vulgo sero est: sexta, si tibi placet, venibo. Ed. Ven. sero est, sed si tibi placet v.

52) Sic dedi monente Dübnero l. c. p. 440; vulgo iam ego mihi adero; Both. iam egomet hic adero. — Anus edd. vett. et Sed.; edd. Pariss. age ante, unde Gothofr. fecit age iam te accinge; quod Nonio contradicit, qui contendit, Pomponium pro accinge te, accinge dixisse. Stephanus: agamus; ed. Ven. ageamus.

apud Non. abscondit p. 75, 25:

périi, non puélla est nunc, quid ábscondisti intér nates[53]?

apud Non. intui p. 370, 30:

incépi contuí, conspicio cóleatam cúspidem.

apud Non. primiter p. 154, 25, pannibus p. 488, 30, es p. 506, 25; apud Charis. II p. 187: „primiter apud Pomponium in Maccis geminis prioribus.

quin bóno animo es! video éripuisti prímiter de pánnibus[54].

Maccus Miles:

apud Charis. I p. 99:

cum cóntubernale égo pugnavi, quód meam coenam[55]. —

apud Charis. I p. 101:

nám cibaria sí vicem
duórum solum mé comesse cóndecet[56].

Maccus Sequester[57]:

apud Non. fulgit p. 516, 9:

símile est, quasi quum in coélo fulgit própter lunam lúcifer.

Maccus Virgo:

apud Non. verecunditer p. 516, 23:

---

53) Ed. Ven. puella est; edd. Pariss. nunquid; ed. Ven. Sed. et Iun. Hadr. nunc quid. — Both. versum tali modo dedit:

périi, non puéllula est nunc! quid ábscondisti intér nates?

54) Ed. Ven. primitus. Actius in geminis, quin bono animo es, video eripis primitus dapes. — pannibus; bono animo es, video eripuisti de pannibus. — es. Pomp. b. a. es video de repis pr. d. p.; edd. Pariss. eripis primiter dapes; p. 488, 30: bono animo es, video eripuisti primitus de pannibus. Ed. Sed. eripis primiter. Iun. deripis tibi; p. 506, 25: bono animo es, video, deripis tibi primiter de pannibus. Apud Charis.: bono animo es, eripis primiter.

55) Vulgo deest ego, quod iam Bothius metri causa adiecit. Pro quod scribit idem quoad. Barth. Advers. IV, 5 coniicit quo demam coenam.

56) Vulgo namsi cibaria vicem. — Bothius:

namsi cibaria me vicem duorum
solum comesse condecet.

57) Iun. in Ind. ad Non.: „Maccus sequester, nisi sit equester, ut M. miles.“

praéteriens vidít Dossennum in lúdo reverecúnditer nón docentem cóndiscipulum, vérum scalpentém nates [58]).

Maevia:

apud Gell. X, 24: „venit ecce illius versus Pomponiani in mentem, qui est ex Atellana, quae Maevia scribitur [59]). Macrob. Sat. I, 4:

diés hic sextus, quúm nihil egi, dié quarto moriar fame [60]).

Maialis:

apud Non. veget p. 183, 3 [61]):

animos Venus veget voluptatibus [62]).

apud Non. frustro p. 473, 17:

miserét me eorum, quí sine frustis véntrem frustrarúnt suum [63]).

---

58) Sic dedi e Bothii certissima coniectura pro eo, quod in libris est: Pomp. Macco: Virginem praeteriens vidit duos sensum in ludo, verecunditer (edd. vett. recte reverecunditer) non docentem etc. — Coniecit Iun. Hadr. virginem praeteriens vidit duos senes, unum verecunditer etc. Palmer.: „indidem praeteriens vidit dominos se„nium in ludo v. etc.; dominos pro dominus antique, senium pro „sene comice.“ — Bothius: „fortasse scribendum Pomponius Macco vir„gine (i. e. virginis personam gerens, ut Chalinus in Plauti Casina): Praeter. „vidi Dorsennum in l. inverecunditer etc.; inverecunditer extrito „e priore legendum est. Scalpentem nates, virgis caedentem, ut accipit „Palmer. in Spic., Facis art. 4, p. 769.“ — Condiscipulum non Dossenni, qui praeceptoris munere functus esse videtur, sed alius.

59) Gronov. ad h. l.: „vett. edd. male quae metui ascribitur. Sed „Macrob. habet Mevia pro Maevia. Thysius. Interest audire lectiones Mss., „quorum Reg. Petav. S. Mar. Flor. exserte habent id quod Thysius edit ex veteri„bus edd. Sed Lugd. Min. quē et vias cribitur. Hinc vides, unde illud „metui sit exortum, perinde ut origo verbi ascribitur, ubi variae edd. addunt „litteram d, quum debuissent inde fingere: quae Maevia scribitur. Ex „diphthongo enim ae involuta exstitit nota et. Quum autem Maevia illa sit rerum „omnium ignotissima, coniiciebat pater: Necyia vel Graece *Νεκυια* in„scribitur.“

60) Dies et die monosyll. — Gronov. ad h. l.: „forsan hic legendum dies „hic tertius, et pro egi edi (quod Both. recepit). Ita dies quartus con„gruit, vel ita interpretari quis potest (imo debet): die ab hinc quarto moriar „fame.“ — Pro moriar Both. numerorum gratia scribendum putat emoriar.

61) Edd. vett. Pomp. Annali. ed. Ven. Annalibus.

62) Both.:

„animos Venu' veget voluptatibus,

„voluptatibus o extrito pronuntiandum est, ne claudicet versus.“

63) Barth. Advers. XXXVIII, 3: „quod haud dubie de triparco quodam di-

apud Non. revortit p. 476, 1:

coenam quaéritat,
sí eum nemo vocát, revortit moéstus ad maenám miser [64]).

Marsupium; vid. Vacca.

Marsyas:

apud Arnob. adv. gent. II p. 43 ed. Stewech.:

quia — Marsyam Pomponii obsignatum memoria tenetis [65]).

Medicus:

apud Non. rhetorissat p. 166, 2:

dolásti uxorem, núnc ea propter mé cupis
concídere et iam rhétorissas [66]).

Munda:

apud Non. suavies p. 474, 12:

ego íllam non ampléctar? ego non suáviem?

apud Non. convivant p. 474, 21:

sí calendis dómĭ convivant, ídibus coenánt foris [67]).

Nuptiae:

apud Non. condepsere p. 39, 12:

---

ctum est, qui famem avaritia illudere voluerat." — Both.: „luditur verbis similibus frustis et frustrarunt."

64) Ed. Sed. miseri. Ed. Ven. et edd. Pariss. moestus ad me nam miser. Iun. Hadr. ad Menam. Gothofr.: „Mss. alii ad maenam; maena hic „vilis piscis, ut et Cic. de Fin. II, 98, non proprium nomen viri." Cf. insuper de hoc pisciculo Plaut. Poen. V, 5, 33. Mart. Epigr. XI, 32, 14; XII, 32, 15; Pers. Sat. III, 76. — Both.:

coenam quaéritat. Si némo eum
vocát, revortit moéstus ad maenám miser.

65) Cf. supra.

66) Libri Pomp. Medico. Iun. Macco. Edd. Pariss. dolasti ux. nunc et propter; Mss. ea propter teste Gothofr. et Lips. Epist. quaest. V, 11. — Bothius:

a. dolásti uxorem, núnc quapropter mé cupis
concídere? — b. etiam rhétorissas? —

Lips. l. c.: „concidendi (et dolandi) verbum inter verba nequitiae. Do„lasti, ita lego non dotasti."

67) Vulgo domi abest; quod monente Dübnero l. c. p. 440 recepi, qui allegat ad Fea ad Horat. Epod. II, fin. — Both.:

sí calendis cónvivantur, ídibus coenánt foris.

insípui partem, cónclusi, condépsui [68]).

Pannuceati:

apud Non. rutrum p. 18, 20:

sárculum hinc illó profectus, íllim rediistí rutrum [69]).

apud Non. evannetur p. 19, 22:

díxi ego illud futúrum, in prima válva est, vix haerét miser;
évannetur, ét mea ocius ópera ut fiat fécero [70]).

apud Non. incoxare p. 39, 17:

neque ínterim cacándi causa — únquam incoxaví nate [71])

apud Non. nubere p. 143, 26:

séd meus
fráter maior, póstquam vidit mé vi deiectúm domo,
núpsit posteriús dotatae, vétulae, varicosaé, vafrae [72]).

---

68) Ed. Ven. inspui. Vulgo partem insipui c. c.; Both.: — partem insipui, conclusi, et condepsui.

69) Ed. Ven. radisti. Edd. Pariss. illum redisti rutrum. Iun. illinc, alii illim. Mercer.: „rutrum; solet multa errare Nonius, tamen „hic credo errasse librarium potius, scribendumque a ruendo (pro a ra- „dendo). Illum redisti libri omnes; iusseram edi illim, quomodo scri- „psisse Lucilium constat. — Sunt haec verba patris ad filium minorem, quem a „maiore instigatus domo eiecerat propter ἀσωτίαν.“ — Both.: „Voss. in Etymol. „L. L.: „„Rutrum, inquit, Graecis σκαπάνη vel σκάφιον, sic dicitur a rui- „tum, sive rutum, ut aratrum ab aratum.““ Locutio proverbialis, qua „non mutati interim mores hominis vituperantur.“

70) Libri misera, quod recte correxit Bothius; pro illud, quod ἄμετρον habet, posuit id; sed notum est, a scenicis primam vocis ille saepe corripi; vid. Bentl. Schediasm. 8. De sensu horum versuum recte haec profert Bothius: „dixerat patri filius maior, minorem mox neque re aucta, neque frugi factum „rediturum esse ab exilio. Iam postquam id evenit, auctor est seni, ut mise- „rum in porta haerentem iterum expellat abdicetque, ut ipse scilicet solus po- „tiatur paternis bonis.“

71) Ed. Ven. n. e. candida c. incoxē unquam iuvantes. Edd. Pariss. incoxa viva te, unde Iun. fecit incoxavi nates. Both.: „oratio „filii minoris, mendicitatem suam et suorum pannuceatorum excusantis apud „patrem. Non studium atque industriam sibi defuisse, ut qui ne sedens quidem „cacaverit, sed fortunam.“ — Similem proverbialem locutionem ex Strattide affert Athen. IV, 169 A: τὸ μὲν ἀσώτιον ἔχεις παρὰ Στράττιδι ἐν Χρυσίππῳ, λέγοντι οὕτως·

εἰ μηδὲ χέσαι γ᾽ αὐτῷ σχολὴ γενήσεται,
μηδ᾽ εἰς ἀσώτιον τραπέσθαι, μηδέ γ᾽ ἂν
αὐτῷ ξυναντᾷ τις, λαλῆσαι μηδένι.

72) Ed. Ven. vidit me i deiectum. Mercer.: „vulgo me inde eie- „ctum, libri me indeiectum, scripsi me vi deiectum. Mox pro afrae

apud Non. nebulones p. 18, 31:

quíd dedi nebulóni, quem per té sum pàssus paúperem [73])?

apud Non. velare p. 416, 15:

núnc rogas, quid fíat? restis vílis est, velét gulam [74]).

apud Non. penula p. 537, 3:

pénulam ín caput
indúce, ne te nóscat [75]).

apud Non. trua p. 19, 15:

mulier, ubi
aspéxit tam miríﬁce tutulatám truam [76]).

„placet coniectura Iunii vafrae. Monent recte docti viri uxorios homines nubere „uxoribus dici, qui dominas ducunt domum, idque voluisse Pomponium indicat „titulus fabulae Dotatae.“ — Contra haec Barth. Advers. VI, 14: „non bene „mihi τὸ nubere propter dotem imperio uxori tradito interpretatur I. Mercer.; „simpliciter enim nubere etiam de virili sexu dixisse Non. docere nititur.“ — Assentior Mercero, cum Pomponii loco comparans Mart. Epigr. VIII, 12:

uxorem quare locupletem ducere nolim,
quaeritis; uxori nubere nolo meae;

nam nubere simpliciter de virili sexu solummodo apud scriptores infimae aetatis in usu esse videtur: Tertull. ad uxor. I, 7, II, 11; de Monog. 7, Hieron. Epist. 22 n. 19; excepto participio nuptus, quod de viro habet Varro apud Non. recte, nam veteres teste Priscian. VIII, 789 etiam nubo te activa ratione dixerunt.

73) Edd. Ven. et Pariss. pertesum; ed. Sed. pertesunt. Mercer.: „in „Pomponio libri habent quem per te sunt pauperem. Credo fuisse:

„quid dedi nebuloni, quem propter te sivi pauperem.

„Iurgium patris cum maiori filio, cuius causa minorem ἄσωτον eiecerat domo, in„dicant illa ex eadem fabula: sed meu's frater etc. Eum redeuntem cum „pater exciperet querenti, ut solet, maiori filio, dissipari in nebulonem paterna „bona, haec respondet pater. Rediisse indicant illa: servulum hinc illo „profectus etc., quae sunt patris ad minorem filium.“ — Sensum recte cepit Mercer., mihi tamen sanandus locus videtur restitutione verbi, quod librarii incuria facile omitti poterat: quem per te sum passus pauperem; simili modo Terent. Phorm. III, 3, 3 dicit: itane hunc patiemur fieri miserum. Minus placet coniectura Bothii:

„— quid dedi nebuloni, quem pertaesum est pauperum!

„male haec accipit mutatque Mercer. Ita pater queritur de filio maiore, quod „minorem pauperem de exilio reversum recipi in domum paternam vetuerat.“ — Profecto pater maiori filio non dedit quod eum pauperum taederet, neque maior filius nebulonis, sed frugi hominis partes egisse videtur.

74) Both.: „verba maioris filii de minore; velat, involvat resti, obstringat.“

75) De sensu huius versus vid. supra.

76) Bothius:

„mulier ubi conspexit tam mirifice tutulatam truam;

codd. adspexit, quod abhorret a numeris.“ — De sensu vid. supra.

Pappus praeteritus (sc. in eligendo magistratu):
apud Non. vagas p. 468, 7:
populí voluntas haéc est, et vulgó vagas [77]).
Patruus:
apud Non. tutant p. 476, 10:
nón erat, quod córpus tremulum fámula tutáret toga [78]).
apud Non. mirabis p. 474, 24:
mírum facies, fátuae si tu stúdium mirabís diu [79]).
Philosophia:
apud Non. memore p. 514, 23; Priscian. XV, 1014:
érgo, mi Dossénne, quum istaec mémore meministi, índica,
qui íllud aurum abstúlerit. — non didici háriolari grátiis [80]).

---

77) Ed. Sed. populis voluntas haec est et vulgo datas, cum signo lacunae; edd. Pariss. praeterito populi voluntas etc. — Iun.: „forte „Pappo praeterito, qualem etiam Novius composuit apud Non. capulum p. 4, „29, aut ut praeterito supervacanea sit vox, ita: Pappo: populi volu-„ptas etc. sicque suis numeris senarius constat." — Bothius: „populis volu-„ptas haec est, ut vulgo vagas, Pappi praeteriti fragmento legitur P. vo-„luntas h. e. et vulgo datas, quae lectio aliena est a mente Nonii, formae „vagare usum exemplis veterum probantis, ut plane necesse sit, illud verbum „legi apud Pomp. Scriptum fuerit, gliscente, ut solet, depravatione bagas, „bacas, datas." — Recte se habet vulgata lectio, quam supra dedimus, nisi forte malis ut vulgo vages; verba enim candidato populum ambienti sunt dicta.

78) Edd. Pariss. Patruo, ed. Ven. et Sed. Partia. Iun. in Ind. ad Non.: „Patruus in mirabis videtur eadem esse cum Pappo, quamquam invenio et „Partis scriptum in voce tutant, ubi vulgati Codd. Patrui legunt." — Both. Parti(?): „Partorum nomen haud dubie corruptum est, nec, quod ei suffi-„ciendum sit, divino. Famulam togam, intelligo famulam seu servilem ve-„stem, quum constet, nomen togae a tegendo dictae, latissime patuisse apud „veteres. Vid. Salmas. not. in Tertull. libro de Pallio p. 73; Voss. Etym. v. toga. „Nam toga proprie dicta nonnisi civium Romanorum vestimentum fuit." — Famula Nominat. potius videtur esse. Famula domini vestem induerat, patruum, ut puto, decepturi. Verba sunt patrui fraude detecta anxiae ancillae togam detrahentis.

79) Vulgo sine metro m. f. f. si studium m. d., scripsi si tu stud. monente Dübnero l. c. p. 440. — Both.:
— mirum facies, fatuae si studium mirabis diu.

80) Vulgo in libris corruptissime ergo nidos sed ne quum ista haec. Ed. Ven. sed ne ista haec memorare meministi indica, qui illud malum a. In edd. Pariss. desunt etiam verba ergo nidos. — Mercer: „ergo „nidos sed ne, ita libri, scribe:

Pictores:

apud Non. strena p. 16, 33:

assíde, si quâ ventura est alia strena strenue [81]).

apud Non. senica p. 17, 19:

⏑́ ⏑ Pappus híc medio hábitat, sénica non sesc-
únciae [82]).

apud Non. intestatus p. 323, 27:

ípsus cum uno sérvo senex intéstato proficíscitur [83]).

apud Non. occupatus p. 356, 8:

quae túleram mecum míllia decém victoriátum
Graecá mercede [ego] íllico curávi, ut occupárem [84]).

„ergo, mi Dorsenne, quum isthaec memore meministi, indicat (indica?)

„Inducebat hariolum, qui fidei faciendae causa multa enuntiabat, quae artis „suae ope se fere scivisse fingebat, ut solebant eiusmodi agyrtae. Is quum tan- „dem urgeretur dicere, quis aurum amissum abstulerit, qua causa vocatus fue- „rat, negat, se dicturum nisi praesentem pecuniam viderit. Dorsennus comica „persona ut supra in eodem Pomponio: Dato Dorsenno. Philosophiae in- scriptio, quia philosophorum nomen ementiebantur isti circumlatores.“ — Bothius: „malim Philosopha, mulier philosopha, quae non inepta materiis Atellanae.“ — In Prisciano leguntur solummodo haec verba: quum istaec memore meminit.

81) Vulgo strena strenae, sed strenue iam recte Collectio Pisaurensis p. 377 (V. IV), ut observat Dübner. l. c. p. 440. — Quá, i. e. aliqua parte. — Both.: „adside — strenae; strena, εὐαρχισμός, ut est in Glossis vet., quia „bonum et felix initium vovebant optabantque Calendis Martiis, quod votum cum „munere erat coniunctum. Festus pro trena dictum putat, sicut stlitem et „stlocum veteres dicebant, a numero ternario, quasi significetur alterum ter- „tiumque venturum similis commodi. Plura de hac re Voss. in Etymol. „v. strena.“

82) Vulgo non sescuncia; recte Guilelm. Veris. 2, 16: „non sescun- „ciae, i. e. nihili, sic Afran. homo non nauci, Naev. non quisquiliae, „Vatin. ap. Cic. (ad Fam. V, 10) non semissis, Plaut. (Poen. I, 2, 168) non „assis, non trioboli.“ — Both.:

Pappus his in aedibus habitat, senica non sescunciae.

83) Senex monente Dübnero l. c. monosyll. legendum, — Both.:

„ípsus cum servo íntestato unó senex proficíscitur.

„intestato, castrato, eunucho. Non enim audiendus Nonius, intestatum „eum intelligens, cuius verbis fides non habeatur.“ — Utrumque hic significat, ambigue enim dictum, alio sed simili modo hoc verbo ludit Plaut. Mil. glor. V, 23.

84) In libris legitur sine sensu quae tuleram mecum nulla deinde victoria tam Graeca (edd. vett. grata) mercede illico *c. u. o.* — Guilelm. recte millia decem victoriatum correxit et in textum recepit Mercer. — Ad tollendum hiatum secundo versui inserui ego; primus versus asynartetus est, ut saepius in Plauto. — Both.: „Graeca merceded illico.

apud Non. manducones p. 17, 14:

magnús camelus, mánducus, cantérius [85]).

apud Non. dicere p. 280, 18:

númmos certos dícas. — dico quínquaginta míllia [86]).

apud Non. callet p. 482, 8:

mírum, ni haec est Mársa, in colubras cállet canticulúm ⏑ – [87]).

Piscatores:

apud Non. merum p. 344:

nescío quid, non est hóc merum, quod plórat hic [88]).

apud Non. piscati p. 488, 16:

quíd habes in scirpículis, calve? — ómne piscatí genus [89]).

apud Non. tumulti p. 484, 4:

quid hóc ést tumúltí [90])?

„Nummus victoriatus = 5 ass. = ½ den. cf. Voss. Etym. Graeca mercede, „usura statim numerata, postquam collocata seu posita fuit sors, vid. interpp. „Plaut. ad Asin. I, 3, 47."

85) Libri habent magnus manducus, camillus, cantherius. ed. Ven. cauterius. Scalig. ad Varron. de L. L. VI p. 80 camillus mutat in camelus, quod placet etiam Mercero, cui Pomponius magnum manducum cum camelo comparasse videtur. — Bothius:

..magnus manducu', camelus es, canterius,

„addidi es, quo versus fulciretur, raptum illud, ut opinor, a proxima „syllaba."

86) Vulgo hic et in voce senica: Pomp. Pistoribus, quam saniorem scripturam iudicat Iun. pro ea, quae Pictores repraesentat in voce strena, occupare etc. Recte contra Mercer.: „Pictoribus ubique libri nostri, non „Pistoribus, praeterquam in voce dicere, sed male ibi. Tres fabulas docuit „Pomp. diversas: Pistorem, Pictores, Piscatores."

87) Both.:

„— mirum, ni haec Marsa est, in colubras callet canticulum.

„Marsi veneficio infames erant, vid. Horat. Epod. 5, 76. Colubra in aqua vi„vens auxiliatur contra venena, ut monet Plin. XXXII, 5." — Non de Marsa venefica, sed de Marsa serpentes incantante hic sermo esse videtur; nam et huius artis Marsi periti erant, ut discimus e Plin. XXVIII, 3.

88) Both.:

nescío quid est hoc nón merum, quod plórat hic.

89) Ed. Sed. sirpiculis.

90) Numeri bacchiaci; fortasse iocosa imitatio illius versus apud Ennium Hect. Lustr.:

quid hoc hic clamoris? quid hoc hic tumulti est?

Pistor[91]):

apud Non. comest p. 81, 21:

décipit vicínos, quod moléndum condųxít, comest.

apud Non. quaesti p. 483, 23:

nám plus quaesti fácerem, quam quádrínas si haberém molas[92]).

apud Non. ocquiniscere p. 146, 25:

⏑́ ⏑ nunc nisi áliquis subito-óbviam occurrít mihi,
qui ócquiniscat, quó compingam términum in tutúm locum[93]).

apud Non. desubito p. 517, 19:

fít desubito-hílarus, tristis, sáltat ridens, ríngitur[94]).

Pytho Gorgonius[95]):

apud Non. pervenibunt p. 508, 5:

hominém beatum, quo íllae perveníbunt divitiaé ⏑ -

Placenta:

apud Non. intyba p. 209, 5:

---

91) Both.: „is, qui far pisit, prisco more loquendi, pistor."

92) De quadrinis molis cf. Turneb. Advers. XII, 16: „trapeta quaedam et „torcularia fuere quadrinis vasis, ut apud Catonem c. 18 legimus, quae plus olei „vinique premebant; sic quadrinae molae plurimum farinae in pistrinis faciebant, „hinc illud Pomponii apud Non."

93) Vulgo nisi nunc aliquis, edd. vett. nunc nisi al. — Obscoene hoc dictum esse, nemo non videt; terminus de membro virili.

94) Fort. saltat, ridet, ringitur. — Male Both.:

fit desubito hilarus, tristis saltat, ridens ringitur.

Homo describitur inconstans moribusque facile mutabilibus.

95) Vulgo Pomp. Pintone Gorgonio, edd. Pariss. Pithone. G. — Scalig. in Varr. de L. L. p. 150: „Pomponius inscripsit exodium quoddam Pythonem Gorgonium, qui nihil aliud erat, ut puto, quam ille Manducus, de „quo dixi; nam Pythonem pro terriculamento, et Gorgonium pro Manduco, quia „Γόργονες cum magnis dentibus pingebantur. Ergo Manducus, Atellana perso-„na, et Lamia et Pythones ὀξυόδοντες pingebantur; cf. Lucil. Sat. lib. XXX „apud Non. gumiae i. e. gulosi (p. 117, 34):

„illo quid fiat, Lamia et Pytho oxyodontes
„quo veniunt, illae gumiae, vetulae, improbae, ineptae."

— Both.: „Pithone Gorgonio scriptum est apud Stephanum, qui malit Pythone. Possis etiam Phinto, cum nota sit Phintonis insula ex Ptolemaeo 3, 3 et Plinio 3, 6. Sed verisimilius est, subesse graviorem corruptionem, neque „aliud esse istud pintone quam pistore. Deinde scribam Gargonius, ut „apud Horat. Sat. I, 2, 27, ubi vid. Bentl. et interpp."

rústici edunt libénter pedibus trítos acres intybos [96]).

Porcetra sive Porcaria:

apud Gell. XVIII, 6: „nam de porcetra sane habet auctorem Pomponium in Atellana, quae hoc eodem vocabulo inscripta est;“ apud Non. cossim p. 40, 28: „Pomponius Porcaria:

sciúnt hoc omnes, quántum est, qui cossím cacant [97]).“

Portus sive Portitor:

apud Non. vepres p. 231, 12:

decédo cacatum, víde, prope est veprécula [98]).

Praeco posterior:

apud Non. senica i. e. senex p. 17, 21:

séd me exercet sénica nequam, néque illo quid faciám scio.

apud Non. senium p. 2, 24:

---

96) In libris invenitur sine sensu: rustici edunt libenter pedibus tristeis acres intybos. Varie conati sunt versum interpp. Iun. pro acres coniecit atros. — Guilelm. Veris. I, 11 pro pedibus tristes, poedidos tristes, poedidum, id quod foetet et gravis odoris est, Fest. s. h. v. — Mercer. pro pedibus scribi vult dapibus. — Both. explicat pedibus inter standum vel eundum, non accumbentes. — Omnis difficultas tollitur, si pro tristeis levi mutatione tritos legimus; intybos enim pedibus teri solitos esse, discimus e Lucilio apud Charis. I p. 77: „nam Lucilius in V deridens rusticam coenam enumeratis multis herbis:

„intybus praeterea pedibus perserpsit equinis.“

97) Cossim i. q. coxim; „qui cossim cacant, i. e. qui infantiam illam primam, qua iacent pueri, excessere,“ Gessner. Thesaur. ad h. v.

98) Edd. habent sine sensu vepres — gener. fem. Pomponius portoperi pocons: decedo cacadum, vepxa est veprecula. — Iun. in Ind. ad Non.: „Portitor vel Portus in vepres, in excusis libris legitur por„toperipocons, quum legendum sit Portitore per ὑποκόρισμα.“ — Scalig. versum sic restituere conatus est:

dede, cedo, cacatum, vipera est in véprecula;

in notis ed. Paris. 1583 legitur ex coniectura:

decedo cacatum, prope est veprecula.

Guilelm. Veris. 1, 13 pro cacatum coniecit cacabum. — Both.: „Portas (?) „Libri Pomponius Porto, per hypocorisma: dec. cacadum. Verum „ὑποκόρισμα hic nullum (vepreecula?); quare suspicor scribendum Pomp. Por„culo vel Porcula, quae eadem fuerit fabula cum Porcetra seu Por„caria: decedo cacatum, vipera in vepreeula est. Cacaturiunt ti„midi et proverbii loco dicebatur, ut monet Guilelm., vipera in vepre de pe„riculo gravi et inopinato.“ — Mihi vitium voci vepra inesse videtur, ortae videlicet e brevi scriptura vē i. e. vide, et prē i. e. prope.

cálve, apportas núntium
nóbis disparém, divisum, huíc seni senium ét metum.

apud Non. vafrum p. 19, 30:
tergum varium, linguam vafram.

apud Non. commictilis p. 83, 3:
sí sciam, quid velís, quasi servi cómici, commíctilis [99].

apud Non. derepente p. 518, 18:
vís facere, ut novérca vetulum dérepente déserat?

apud Non. operari, i. e. sacrificiis litare p. 523, 11:
ád Veneris proféctu'st mane vétulus, votum ut sólveret,
íbi nunc operatú'st [100].

apud Non. mactare i. e. malo afficere p. 342, 10:
át te di omnes cúm consilio, cálve, mactassínt tuo.

apud Non. particulones p. 20, 7:
áge modo, sta, gárri, particulónes producám tibi [101].

apud Non. acc. pro nom. p. 500, 25:
quót laetitias ínsperatas módo mi irrepsere ín sinum [102]!

Praefectus morum:

---

99) Both.: „si sciam, quid vis. Codd. quid velis, quod ferri possit, si sciam contrahatur in monosyllabum. Sed praestat indicativum ponere „pro subiunctivo, more Graecorum et priscorum Latinorum; vid. index Plauti „et Pareus in Lex. Plaut. v. enallage modi. Commictilis, digni, in quem meiant, convicium scurrile. Voss. in Etymol. L. L." Ed. Ven. quasi servi comici comptilis.

100) Bothius:

ad Veneris est
profectus mane vetulus, votum ut solveret.
ibi nunc operat'ust.

101) Sic legitur in edd. vett. et Sed.; edd. Pariss. age modo, Stagari, unde Palmer. coniecit sta, Cai, Scal. Sagari. — Particulones, Non.: „Particulones dicti sunt cohaeredes, quod partes patrimónii sumant." Gothofr. ad h. e.: „Particulones, qui te in partes concidant; alludit nempe ad eos particulones, inter quos res aut haereditas aliqua est communis."

102) Vulgo quod laet.; quot recte coniecit Iun. — Both.: „quot „laetitiae insperatae modo me inreps., quem accus. pro casu recto „accipiendum esse Nonius putat, ut est nugator nonnunquam." — Casuum commutatio non potest nisi anacoluthi genere explicari, pro: o tot insperatas laetitias, quae modo irrepsere in sinum!

apud Non. germanitus p. 118, 14:

ut sí quis est
amíco amicus, gaúdet, si cui quíd boni
evénit, cuius amícus est germánitus [103]).

apud Non. operibo p. 507, 31:

pater! —
at 'st! negato esse híc me, ego operibó caput [104]).

Prostibulum:

apud Non. delirare p. 18, 1:

iámne abierunt? iám non tundunt? iám ne ego sum in tutó satis?
núm quis hic resistít, qui nondum lábeas lirarít mihi [105])?

apud Non. centuriatim p. 18, 11:

cóntinuo ad te cénturiatim cúrrent, qui paném petent [106]).

apud Non. comedim p. 83, 33:

égo quaero, quod [cóm]edim, has quaerére, quód cacent, contrárium est [107]).

---

103) Edd vett. gaudent sicut qui boni evenit cuius; qui etiam Cod. Guelph., edd. Pariss. gaudet si quid evenit boni, cui; ed. Sed. si quis est amicus amici, gaudet sicut cui boni evenit, cui etc. — Steph. si quid boni. — Both. amicus amici, si quid ei boni Evenit, cui. — Quae supra dedi, monente Dübnero l. c. p. 441 e vestigiis edd. vett. concinnavi.

104) Quod dedi, legitur in ed. Sed. ex emendatione Scalig. Coniect. in Varr. de L. L. p. 24. Vulgo pater at est, negato esse hic me operibo caput. Ed. Ven. negabo. — Iun. pater est, negato esse hic me. — Gothofr. e Ms. pater est, negato esse sic me. — Both.:

„a. Páter adest! — b. negáto hic esse méd; ego operibó caput,
„libri pater at st, vel pater at est, quod correxit Schegkius Praemiss. „epist. 10, ubi docet, velasse et operuisse se veteres vel propter sacra, vel ob „subitam creperam, aut desperatam aliquam rem aut malum; cf. interpp. ad „Plaut. Most. 509." — Filius simpliciter operit caput, quia loco, quo tum erat, a patre conspici non vult.

105) Edd. Pariss. iamne obtundunt. — Mercer.: „rectum est, quod „edidi e libris: iam non tundunt. In sequenti versu resistit ita enuntiatur, „ac si esset restit." — Altera syllaba vocis resistit non tam pronuntiando omittenda, quam corripienda, ac si st positionis vi careret. — Both. restat.

106) „Centuriatim, veluti per centurias, i. e. confertim" Both.

107) Vulgo ego quaero quod edim, has quaerere quod cacent, contra ius est. Ed. Ven. quod taceret, contrarius est. — Merker.

apud Non. rumen p. 18, 15:

> égo rumorem párvi facio, dúm sit, rumen quî ímpleam.

apud Non. spurcum p. 394, 14:

> quaé peditibus núbere poterant, équites sperant spúrcae [108]).

apud Non. schema fem. gen. p. 224, 32:

> sí valebit púls, in buccam bétet, sic dicúnt schemâ [109]).

apud Non. ocquiniscere p. 146, 23:

> ut núllum civem paédicavi pér dolum,
> nisi ípsus orans últro qui ocquinísceret [110]).

apud Non. rictum p. 456, 2:

> quís hic est? quam ob rem hic próstat? rictum et lábeas quum consídero — —

---

ego quaero quod edim, has quaerere quos cacent, contrarius est. — Stephan. nescio an ex coniectura ego quaero, quod edim, has quaerere, qui parcant, certum est. — Both.:

„ego quaéro quod edim; quód cacent, has quaérere, certa rés est;

„carpere videtur prostibulum scorta magnifica, quae non quaerant cibum, quo „satientur, sed quem cacent nimium.“ — Mihi turpis quidem sensus versui inesse videtur; cacare ea fere vi, qua legitur Priap. LXX, 4.

108) Vulgo pedibus, liber Casauboni habet peditibus, teste Mercero. — Equites sperant spurcae, Mercer.: „similis illi Petronianae quadran„tariae, quae sedere in equestribus volebat: „„viderint matronae quae flagellorum „vestigia osculantur; ego etiamsi ancilla sum, nunquam tamen nisi in equestribus „sedeo.““ — Both.:

quae peditibus nubere poterant, equites spurcare sperant.

109) Vulgo si valebit plus in buccam vetet si dicin schema; unde fecit Palmer.: „si valebit puls, in buccam betet, si licium, in „schemam; nihil licio cum bucca, nihil pulti cum schema, quae puls in buc„cam ire solet.“ — Both.: „scribam equidem: a. si valebit, plus in buc„cam bitet. — b. sic dicin', schema? Medicus nescio quem aegrotum „paucissimo cibo contentum esse iubet, donec valuerit. Cui ille impatientior „sicne dicis? ain me tum demum plus comesurum? Et ridicule medicum „vocat schema, quasi dicas formam tantum atque figuram hominis; quo ge„nere iocorum abundant hi scriptores.“ — Sed e Bothii lectione non patet, schema esse generis femin., ad quod probandum Non. fragmentum citat. Explico igitur: Si valebit puls, in buccam betet, schematica elocutio, qua opinionem suam aliquis tectius significat; itaque addit sic dicunt schemâ, sic loquuntur non aperte, sed τροπικῶς, cf. Mart. Epigr. III, 68, 7:

schemate non dubio, sed aperte nominat illam:

et Petron. Sat. 44 ed. Burm. schemas loqui. Primam vocis schema correptam esse, probat Plaut. Amph. Prolog. 115.

110) Edd. Pariss. ultroque ocquinisceret. — Both.: at nullum civem — ultroque.

Quinquatria:

apud Non. seplasium p. 226, 19:

vénit nos rogátum, quando nóstrae essent seplásiae [111].

Rusticus:

apud Non. dapsile p. 513, 26:

quid núnc vis fieri? — vérrem sume dápsile ac dilúcide.

Sarcularia:

apud Non. suppilare p. 13, 1:

altér amat, potat, pródigit, patrém suppilat sémper [112].

Satira [113]:

apud Prisc. VI p. 679:

quoiusvís leporis Líber diademám dedit.

apud Calp. Pison. apud Merul. ad Enn. Fragm. p. 308 et apud Prisc. VI p. 726:

lamén color tatríci mutat, lácrumis
se fálsis lavitat, émta tundit déxtera
pectús; sati'st, ah blánda; fallax, ímpotens,
supérba, discordís — — [114].

Sponsa Pappi:

apud Non. cognoscere p. 275, 23 et assentit p. 469, 20:

---

111) Vulgo Id. Quinq. venit, inquit, rogatum nos. — Both.: „venit nos rogatum, quando nostrae sint seplasiae, „dici videntur Capuenses."

112) Sic edidit Mercer. e certissima Guilelmi coniectura; vulgo legitur alteram apportat, prodigit etc. — Both.: „Voss. in Etym. v. pilo: pilare, „inquit, prima porrecta, vel densare (a πιλοῦν seu πιλεῖν) notat, vel furari. — Eademque notione dicitur suppilare.

113) Casaub. de Sat. poes. II p. 195 ed. Bamb.: „L. Pomponium in Satira meminimus Prisciano laudari, sed huius Atellanarum scriptoris Satiram referimus ad genus, quod ante Ennium florebat, dramaticum."

114) Coniunxi, quae a Calp. e Pomponio, titulo fabulae omisso, citantur, cum iis, quae in Prisc. e Pomponii Satira leguntur. Apud Calpurnium teste Merula haec inveniuntur: dixit Pomp.:

lamen color tatrici mutat; lacrumis
se salsis lavitat evita tundit dextra
pectus, sati'st, ah blanda, fallax — —

salsis in falsis, evita in emta, dextra in dextera recte mutavit Merula. In Prisciano leguntur tantummodo haec verba: blanda, fallax, impotens, superba, discordis.

pol máge curabo, ut úbi cognorint, ómnes una assén-
tiant [115]).

Synephebi:

apud Charis. I p. 108:

incolume illo [116]).

Syri [117]):

apud Non. lurcones p. 11, 5:

lápathium nullum útebatur, lárdum lurcabát lubens [118]).

apud Non. praesente p. 154, 16:

quídam apud forúm praesente téstibus mihi véndidit.

Vacca vel Marsupium:

apud Prisc. X p. 835:

simul intro véni,
accéssi ad patrĕm, prendí manum, in terra út cubabat
núda;
ad eum út conquexi — ínterim me múlieres conspí-
ciunt [119]).

Verniones:

apud Non. expedibo p. 505, 17:

---

115) In priore loco vulgo Pausa Papipol. Ed. Ven. pă pasapipole: magis c. u. cognovit —; in altero loco Sponsa papi pol — sentiet. Mercer.: „Pansa scribe Sponsa Pappipolae, ut infra c. 7;" quo in loco perperam curabo omissum est. — Iun. Sponsa Papae: Pol eo magis. — Steph. Sponsa: Papae pol magis ubi. – Both. Sponsa Pappi: Pol mage curabo, ubi etc. — Secutus sum Dübnerum l. c. p. 441 ut adiiciens.

116) Both. non habet fragmentum.

117) Vel agebat fabula de Syris, servorum vilissimo genere, quod alterum fragmentum probare videtur, vel de syris i. e. scopis, cf. Non. p. 46, 6: „syrus a Graeco magis tractum est ἀπὸ τοῦ σύρειν, has nos scopas, rustici eo nomine syros vocant."

118) Lips. Antiq. Lectt. V, 22: „lego nullus vescebatur, nullus pro non comicorum more." — Mutatione non opus est. — Mercer.: „in Pomp. libri „bene lapathium nullum ut.; quod et versus ratio exigit, ut ille Poeniculus „Plautinus," cui convivium non placet de herbis, nisi addatur sus terrestris bestia."

119) Sic suadente Dübnero versus distribui; in tertio versu me, quod libri non habent, iam additum est a Bothio, qui locum ita exhibet:

⏑ ´ simul intro véneram, accessi ád patrem,
prendí manum, in terra út cubabat núdula.
ad eum út conquexi, — ínterim me múlieres
conspíciunt.

séd qui utroque errór vos agitat, éxpedibo ⏑ ⏑ ‒ [120])

apud Non. aperibo p. 506, 29:

aperibo, nón possum civém pati,

hórtus est, quem amáre coepi, pínguis, non púlchér puer [121]).

Verres aegrotus:

apud Non. frustatim p. 112, 5:

verúm valent illí, qui cum leónibus luctántur. —

ut téte obiectes prándium frustátim passerínum [122])?

apud Non. testatim p. 178, 24.

⏑ ⏑ iam istam cólaphis comminuíssem testatím tibi [123]).

apud Non. parciter p. 515, 6:

suaviolum! — parciter,

tanquam frater sis mihi! — medium quum abdomen dividam [124]).

---

120) Ed. Sed. se qui. — Pro utroque fort. utrosque legendum.

121) Ed. Sed. civem omittit. — Iun.: „lego pati, nam civem superfluum est.“ Quem sequitur etiam Both. — Libri habent orcus, ed. Ven. ortus, mutavit Scalig. porcus. — Iun.: „Horaeus, qui sit ὡραῖος, norunt Graecae periti, aetate nimirum integer et maturus.“ — E vestigiis ed. Ven. scripsi hortus, et intelligo sensu obscoeno ut apud Graecos κῆπος de membro muliebri; cf. Anthol. Lat. 3, 264, 2.

122) Vulgo legitur sine metro: verum illi valent, qui luctantur cum leonibus et te obiectes (edd. Pariss. ut te ob.) frustatim passerinum prandium, unde fecit Both.:

— verum illi valent, qui luctant cum leonibus:
eis ted obiectes frustatim passerinum prandium.

Sensum recte exposuit Gothofr.: „Colloquium est duorum in hoc Pomponii Verre; „unus enim alterum exhortatur ad venationem leonum, et qui se in eo genere „exerceant, valentes esse ait. Alter cum irrisione ita respondet: id quidem dici „posse, sed tamen in eiusmodi venatione homines se obiectare frustatim, discer„pendos leonibus, iisque esse veluti passerinum prandium, quasi diceret hoc: „devoratum hominem leoni esse, quod homini passerinum prandium, idque vide„tur proverbii species.“

123) Both.: comminuissum colaphis.

124) Vulgo albeolo parcitur s. salbeolom parciter et medium abdomen quum dividam. — Recte Lips. Antiq. Lect. II, 4: „saveolom parciter. Videlicet autem verbum dividendi hic inter obscoena esse et devirginata;“ cf. Cic. ad Fam. IV, 22, Quinct. VIII, 3, Plaut. Aul. II, 4, 4 et 7. Petron. Sat. 11. — Both.:

„— salve! nolo parciter;
„tanquam frater mihi sis, medium abdomen quando dividam

„abdomen, vernis, ut videtur.“ — Colloquium est amatoris et puellae; abdomen de membro pudendo, ut apud Plaut. Mil. glor. V, 5.

Incertarum fabularum fragmenta.

Apud Senec. Epist. III sub. fin.: „itaque hoc, quod apud Pomponium legi, mandabitur tuo animo:

quídam adeo in latebrás refugere, út putent in túrbido
ésse, quidquid ést in luce [125]."

Apud Non. populatim p. 150, 18:

magnús poeta plácuit populatim ómnibus [126]).

Apud Donat. ad Terent. Eun. IV, 3, 7:

⏑ ´ sine ergo istúc, praesente amícis inter coénam.

Apud Charis. II p. 192:

quaquam negas nuptam.

Apud Diomed. I p. 370, Prisc. X p. 902:

cum ínterim nequé molis molui, néque pistillis pínsui [127]).

Apud Prisc. III p. 165:

ínterim, dum contémplor orcam, táxillos [ego] pérdidi [128]).

---

125) Vulgo refugerunt, quidquid in luce est. Lipsio ad h. l. haec verba poetam olere non videntur, quapropter ea philosophi habet. Sed numerus, qui verbis inest, iam satis probat, ea esse e poeta petita, nec est, quod Pomponio nostro haec denegemus, quum, ut supra vidimus, Atellanarum poetae talibus sententiis gauderent.

126) Sic dedit Mercer., recte; nam in ed. Ven. magnus poeta placuit omnibus populatim. In ceteris libris invenitur Pomponius maginus poema pl. — Iun.: „lectionem corruptam in populatim ad hanc normam emendandam puto: Maccis geminis, si quidem vox illa notis videtur perscripta fuisse hoc modo: Ma. geminis."

127) In Diomede legitur neque palatis pinsui, quod, quid sibi velit, nescio; in Prisc. invenitur neque pilis pinsui, quod metro repugnat; scripsi pistillis, quod facile in pilis mutari poterat. — Both.:

„— cum interim
„neque molis molui, neque pilatim pinsui;

„ita scribendum putavimus, frequenti apud veteres forma adverbiorum, cum „apud Diom. invenissemus palatis, apud Prisc. vero pilis, quae est explicatio. „Istud palatis nemo mirabitur, quum a in i et rursus i in a facile mutentur." — Ceterum fragmentum e Pomp. Pistore desumtum puto.

128) Ego ad supplendum versum addidi. — Both.:

„interim, dum orcam contemplor, tax! taxillos perdidi;

Apud Cledon. p. 1896 Putsch.:

⏑ ⏑́ quo pacto cáream tam pulcrá penu?

Apud Non. penus gen. fem. p. 219, 30:

do ego alii vinum penumque omnem ceteram.
aliam praeberem penum [129 a]).

Apud Non. inter urbem et civitatem:

cum in úrbe superiórem inscenderét locum [129 b]).

Apud August. de civit. dei IV, 16:

„vocaverunt deam Murciam, quae praeter modum non

„apparet, excidisse interiectionem, raptam illam a syllaba simili, quae sequi-„tur. — Gaudet παρομοίᾳ Pomponius, ut videre est Bucc. adopt. 2, Cretula 1, „Ergast. 1, Full. 2, Hered. pet. 1, Macc. gem. 4 aliisque locis. Tax notum e „Plaut. Pers. 261, Naev. Agitat. 6. Sententiam explicans Casaub. ad Pers. 3, 50, „ubi sermo est de lusione illa puerili, quae talis aut taxillis peragebatur, laudato „hoc loco Pomponii: est igitur, inquit, orca idem ac phimus et pyrgus, quae „sunt talaria lusus voces apud Graecos et Latinos. Recte quidem de orca; sed „quod talos intelligere videtur, quibus ludebant, non assentior, sed servum ali-„quem narrare puto, se, dum adstiterit quondam ludentibus diutiusque abfuerit „domo, talos suos perdidisse, i. e. verberibus acceptum fuisse a domino irato.“ — Fragmentum coniicio e Pomponii Aleonibus desumtum esse.

129 a) Locus in edd. corruptissimus vulgo sic legitur: „Pomp. Dogali (ed. Sed. Degali) vinum (edd. Pariss. unum) penumque (edd. Pariss. penum, quae) omnem, ceterum aliam praeberem penum.“ — Iun. coniecit: do illi vinum, penumque omnem. — Mercer. ad h. l.: „Pomp. Dogali, ita libri, scribe Dotata et mox Novius Dotata, Pomponii Dotata supra in voce efflictim et paulisper.“ — Both.: „Pompon. Togati:

„vinumque et ceteram omnem praeberem penum;

„possis etiam Dotali, dotali servo, qualis est illa Saurea in Asinaria Plauti, „cui Saureae plus in manu est, quam domino, ut ait Libanus. Ceterum libri, „receptis in ordinem glossematis: vinum penumque omnem ceterum „aliam praeberem penum.“ — Neukirch. de fab. Togat. p. 163: „totus „locus autem ita scribendus: Pomp.: do ego alii vinum penumque „omnem ceterum. Novius (in) Dotata: alium praeberem penum. „Atta: meum in penum componam satius est. Dogali natum est „omissis litteris elidendis in verbo ego; quin vinum recte scribatur, haud fa-„cile quisquam dubitabit. Post ceterum interpungendum est propterea, quod, „si istud ad sequentia traheretur, Pomponii locus probare non posset, penus „masc. gener. esse. Sequentia sic depravata esse arbitror. Librarius per impru-„dentiam omiserat Novius Dotata. Scriptis autem verbis Alium prae-„berem penum illud animadvertit, ac post haec, quod omiserat, posuit, idem „esse existimans: Novius Dotata: Alium praeberem penum; atque: „alium praeberem penum. Novius Dotata cum sequente Atta vel Acta „in Dotucta, Dofacta conluit.“ — Male olim conieci Pomp. Doga: illi vinum penumque, quae omnem, et recte contra Dübner l. c. p. 439: „Doga *müsse sehr bezweifelt werden, weil sich durchaus nicht erweisen lässt,* „*dass* doga *ein altes Wort ist; es kommt zuerst bei Vopiscus vor und kein alter* „*Grammatiker erläutert es, sondern nur griechische Glossographen.*“

129 b) Ed. Ven. cum in urbe superiorem locum incendere.

moveret ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, i. e. nimis desidiosum et inactuosum[130]).

Apud Fest. Saccomorum p. 251 ed. Lindem.:

saccom[orum genus est arboris, quam dicta]m Pomponius [ait ex fico et m]ero (f. moro), quod ficus ea [sit et morus, unde] nomen per mo[ron et sycon de]ductum est.

Apud Macrob. Sat. II, 1:

Novius vero Pomponiusque iocos non raro dicteria nominant.

Pomponii Epigramma.

Apud Varron. de L. L. VI p. 315 ed. Spengel:

„Cascum significat vetus, secundo eius origo Sabina, quae usque radices in Oscam linguam egit — item ostendit Papini ἐπιγραμμάτιον, quod in adolescentem fecerat Cascam:

ridiculum est, quum te Cascam tua dicit amica,
fili Potoni sesquisenex — — —
[puerum dicit pusum, puellam pusam]
sic fiet mutua muli;
nam vere pusus tu, tua amica senex.“

Apud Prisc. III, 692: „hic et haec senex vetustissimi proferebant. Pomponius in epigrammate, quod M. Varro in libris, qui sunt de Lingua Latina, refert:

tua amica senex est[131]).“

130) Cf. Fest. v. murricidus. — De Murcia dea vid. Hartung *Religion der Römer* II p. 249: „Venus Murtea *oder* Murcia; *der Beiname zeigt an, dass der Göttin die Myrthe lieb war. Einigen Kirchenvätern aber, denen die Herleitung von* murcus = *dumm, dämisch, besser gefiel, hat diese* Venus Murcia *vielen Spass gemacht.*“

131) Speng. in praef. ad Varr. p. XLI: „hac ratione item in versu explanando, „glossemate in textu ex margine collocato, ipsa poetae verba exciderunt, „p. 316; nam in libris scriptis et multis excusis ἐπιγραμμάτιον nulla facta ver-„suum distinctione sic legitur: fecerat cascam ridiculum est cum te „cascam tua dicit amici fili potoni est qui senex puerum dicit „pusum puellam pusam sic fiet mutuam mulinam vere pusus tu „tua amica senex. Verbum puerum dicit pusum, puellam pusam „sine ulla varietate omnes servant libri et scripti et editi; itaque viri docti, qui-

„bus metrum restituere conarentur, varias excogitabant vias. Frustra, si quid „video, quum aperta in his sit glossatoris manus, nec integrum valeamus reddere „epigramma. Verba enim pusum et pusam poetam dedisse, inde docemur, „sed qualem totum scripserit versum, quis indagabit?“ — Eiusd. Not. ad h. l.: „Papini Flor. Pampinii Sciopp. Papinii ceteri. Pomponius Prisc. „Tom. I p. 110 Kr. Pomponii ex Prisc. Vertr. Achill. Statius ad Catull. X, 4, „p. 40. Bentl. ad Eun. II, 3, 66. Burm. Anth. I p. 672. — Fecerat Cascam, „fecerat: Cascam, quo versus incipit vocabulo Sciopp. — Tua dicit Flor. „Havn. Vulg. Vertr. Sciopp.; tua casca dicit Cod. B. ed. pr. vetust. Rhol. Ven. „1, 2. Ald. Bas. Par. Gryph. — Amici Flor. Havn. amica Cod. B. ed. pr. vet. „Rhol. Venet. 1, 2. Ald. Basil. Par. Gryph. Turneb. Scal. Bentl. amica Casca „ex Pantagathi emendatione Vulg. Vertr. Sciopp. — Fili Potonis Flor. fili „Potoni Havn. Turn. Adv. XXIII, 15; philopotonis Cod. B. ed. pr. vet. Rhol. „philoptonis Venet. 1, 2. Ald. Bas. Paris. Gryph. Philotonis Vulg. Phi- „loptois Vertr. Philotoni Sciopp. fili Petroni Turneb. Bentl. filia „Tithoni Popma. Codicum dedimus lectionem, quamvis amica filia procul „dubio verum est. Cod. Paris. a. filii potonises qui senex puerum, Cod. „Paris. b. pliopocinis es qui senex puerum dic, Cod. Paris. a, b. pu- „sam sic. — Sesquisenex Turneb. Bentl. est qui senex Flor. esqui- „senex V. C. apud Sciopp. marg. esqui senex Havn. eius qui senex Cod. „B. ed. pr. vet. Rhol. Ven. 1, 2. Ald. Bas. Paris. Gryph. ipsa senex Vulg. Vertr. „sapsa senex Sciopp. — Puerum dicit pusum, puellam pusam Flor. „Havn. Cod. B. ed. pr. vet. Rhol. Ven. 1, 2. Ald. Bas. Par. Gryph. sunt glossatoris „verba. puerum Dic tu illam pusam Turneb. Adv. XXIII, 15. Vulg. Vertr. „Bentl. puerum dicit pusum pusa puella Turneb. emendat. puerum „Dic tu ellam pusam Sciopp. Cf. Erasmi Adag. I, 7, 96. I, 2, 62. — Sic „fiet, hic Turn. — Mutua muli, nam Pantag. Vulg. mutina mulina Cod. „B. ut sis ed. pr. vet. mutuam mulinam ut sis Rhol. Ven. 1, 2. Ald. Bas. Par. „Gryph. — Paris. Cod. a, b. mutuam mulinam nam vere, nam es vere „Voss. de Anal. I p. 61. Cod. Paris. b. re. — Tua amica, aut amica Havn. „— Senex Flor. Havn. Cod. B. ed. pr. vet. Rhol. Ven. 1, 2. Ald. Bas. Par. Gryph. „senexst ex Prisciano, ut videtur, Vulg. Vertr. Sciopp.“ — „Sic fiet: mutua muli sc. scabunt, proverbium, quod integrum legimus apud Auson. Idyll. XII, in praef. ad monosyll. p. 354 ed. Souchay: tu quoque mihi tua crede securior, quippe meliora, ut quod per adagionem coepimus, proverbio finiamus: et mutuum muli scabunt.“ Scalig. Coniect. ad Varr. l. c. — Mutua pro mutuum s. mutuo, ut apud Lucret. II, 75. IV, 302. VI, 1082.

II.

Novii, Atellanarum scriptoris Fragmenta.

Agricola:

apud Non. comest p. 81, 24:

edepól paternam quí comest pecúniam.

apud Non. repuerascere p. 165, 25:

quíd ita? — quia enim répuerascis, fúgitas personás, pater [132]?

apud Non. nomin. pro dat. p. 500, 28:

lernete duo verbis etiam primo et postremo idem [133].

---

132) Sic dedi ex emendatione Merceri: „in Novio legerim fugitas pro „vulg. fugit has. Puerorum est pavere, ubi personatas vident. Idem hoc „patri filius obiicit.“ — Ed. Sed. quod ita.

133) Sic edd. Pariss. sine sensu; in marg. fort. cernite; ed. Sed. le e nete. — Both.: „fr. corruptissimum, nec iuvat Steph. aliorumque scriptura „non minus depravata: Lernete duo. Nominativum pro dativo in hisce usur„patum monet Marcellus, habuitque, ut videtur, duo pro nominativo; verum „saepissime hallucinatur bonus vir Nonius, ut haud invitus scripserim:

„a. licétne duobus vérbis? — b. etiam. — a. próme postremó „fidem.

„Duobus verbis, sicut alibi tribus verbis. Etiam pro ita ut Plaut. „Most. 964.“ — Equidem coniicio:

léno (s. lena) te duo vérbis. — etiam prímo postremóque idem;

colloquium inter iuvenem et lenonem; te duo verbis i. e. paucis te volo (duo indeclin., ut apud Graecos interdum δύο), lenonem iuvenis alloquitur; cui respondet: etiam primo etc., i. e. quid duobus? immo unico; nam tu me semper idem efflagitas, tuum primum et postremum verbum aditus ad puellam, quem veto, est.

Andromache:

apud Serv. in Virg. Georg. I, 266:

quod tú, mi gnate, quaéso, ut in pectús tuum
demíttas, tanquam in físcinam vindémitor [134]).

Asinius:

apud Non. rhetoricasti p. 476, 5:

áge nunc, quando rhétoricasti, résponde, quod té
volo [135]).

Bubulcus Cerdo:

apud Non. commetare p. 89, 31:

quum ád lupam nostrám tam multi crébro commetánt
lupi [136]).

Bucculo:

apud Non. edim p. 507, 7:

quód editis, nihil ést, si vultis, quód caedetis, cópia
est [137]).

Colax [138]):

---

134) Bothium secutus sum, legitur vulgo αμέτρως: tanquam vindemiator in fiscinam.

135) Vulgo Asinius, Iun. coniecit Asinus, quod verum videtur; nam nonnullas reperimus Atellanas pecudis nomen prae se ferentes: Asinam scripsit Pomponius, Porcetram, Verrem, Vaccam. — Both. quando rhetoricasti tu, responde, quod rogo.

136) Ad lupam, recte Bentl. ad Terent. Heaut. III, 1, 35 ad meretriculam intelligit. — Laurenb. Antiq. p. 96 commetent.

137) Both.: „Bucculo deminutivum est a Bucco, garrulus ac inprimis, „qui laudes suas plenis buccis praedicat, ut ait Voss. Etym. L. L. v. bucca. Apud „Stephan. aliosque legitur Buccula vel Bucula."

138) Ut solent, libri Colacem modo Novio, modo Naevio tribuunt. Naevium Colacem scripsisse, colligi posset e Terent. Eun. Prol. 25:

Colacem esse Naevi et Plauti veterem fabulam;

sed contra Bentl. ad h. l.:

„Colacem esse nempe Plauti veterem fabulam.

„Colax Plauti a Non. Marcello citatur, Naevii Colax nusquam memoratur; nam „quae superiore seculo apud Non. et Prisc. ferebantur tanquam ex Naevii Colace, „ea iam ex vetustioribus Codd. Novio tribuuntur." Contra Bentl. disputavit Hermannus: De Rich. Bentleio eiusque editione Terentii, Opusc. II p. 277: „De „Colace Naevii quod ait Bentleius superbius simul et incuriosius pronunciatum „est. Operae pretium erat certe, nominatim indicare vetustos illos Nonii Pri„scianique codd., quorum auctoritate Novio ea fabula adscribenda est. Nam „Nonii edd. antiquae Naevium nominant, cui nomen Novii Ios. Mercerus sub„stituendum ex coniectura censuit. — Quae omnia nos eo videntur adducere

apud Non. prolubium p. 64, 9:

et volo,

et véreor, et facere ín prolubio est ⏑ ⏑ –.

apud Non. protinus p. 376, 11:

— ubi vídi, exanimabíliter timidis pédibus protinam me dédi [139]).

apud Non. multare p. 462, 31:

et ásseri

laudés ago, quum vótis me multát meis,

quod praéter quam vellem, aúdiebam hoc mi éminus [140]).

apud Prisc. X p. 874:

quid décumas partes? quántum mi alieni fuit

pollúxi tibi iam públicando epulo Hérculis

decumas [141]). —

„debere, ut non Novii, sed Naevii fabulam Colacem fuisse statuamus: accedit, „quod fragmenta huius fabulae, ut a Novii stilo non abhorreant, tamen ne quod „a Naevii quidem alienum putari debeat, continent."

139) Bothius: „Nonius: id est, inquit, longius fugi; monetque protinus vel protinam, quod nonnulli veterum pro illo usurpaverint, valere nonnunquam porro, sine intermissione, continuo. Cf. Voss. Etym. v. protenus."

140) Omnino sensu caret lectio vulg. et asseri laudes ago, quum votis me multatis meis, quod praeter spem, quam vellem audiebam hoc mihi Ennius. — Mercer.: „Novius Colace, ita rescribendum, non Naevius. Versus ipsos sic rescribes:

grates et laudes ago, quum votis me multatis meis,
quod praeterquam velle audebam, hoc mihi evenit."

Both. mavult:

„est áffatim. laudés ago, cum vótis me multátis
meis, quod hoc mihi évenit, praetérquam velle audébam."

Quod dedi, restituit Hermannus l. c. e lectione ed. Ven. anni 1496: et asseri laudes ago quum votis me multatis meis, quod praeterquam vellem audiebam hoc mihi eminus. Loquitur aliquis, qui quum per asserem parieti sarciendo insertum e longinquo plus etiam, quam voluerat, audivisset, laudat asserem, per quem compos voti factus sit.

141) Unus Cod. Krehl. quid pro qui; vulg. fuit. — Vulgo additur a publicando epulo Herculis decumas, quae, ut videtur Bothio, explicatio est verborum decumas partes. — Laurenb. Antiq. p. 344: „polluccere mercatores dicebant, quando de mercibus ἀπαρχάς et libamenta diis offerebant, cf. Plaut. Stich. I, 3, 80: ut decumam partem ex voto Herculi polluceam, quod Pollux δεκάτην Ἡρακλεῖ ἀποθύειν vertit." Dedi Hermanni lectionem l. c. „Verba sunt exprobrantis beneficia in parasitum collata."

Decuma sive Decumae:

apud Non. impertire p. 37, 22:

si ignótis impertíbis, flebis fácilius[142]).

apud Non. sublabrare p. 170, 8:

iam égo illi subiens súblabrabo-ésui illud sínciput[143]).

apud Non. pariter p. 374, 31:

quíd profanaví modo,

sí sim tres mensés in aede, páriter ut dispértiam[144])?

apud Non. fala p. 109, 19:

me nón vocavit, ób eam rem hanc fecí falam[145]).

Duo Dossenni:

apud Fest. temetum:

séquimini, ne praémeate, séquere, temetí timor[146]).

Depatici[147]):

---

142) Ed. Ven. et edd. Pariss. si ignotis impertit flevit facilius. — Iun. in partibus flent. — Ed. Sed. si ignotis impertibus flent f. — Mercer.: „in Novio expressi scripturam veterem, scribe: si ignotis impertibis, flebis f."

143) Both.: „esui, ad esum; sinciput, verrinum, nisi fallor, quod inter delicias mensarum, ut narrat Plin. Hist. nat. VIII, 51."

144) Vulgo quid prophanavi modo si tres menses sim in aede ut p. d. — Edd. Pariss. omittunt sim. — Iun. coniecit: profanarim oro, uni, cedo. — Mercer.: „Novius Decuma, ita libri recte, non Naevius; in ipso vide, num scribendum quod (quot?) profana in domo, Si tres menses sim etc., ut tres menses det sacris in aede, totidem profanis domi." — Secutus sum Bothium; sensus tamen loci parum liquet.

145) Libri Pomp. Decumis. — De fala Turneb. sic: „falla sive fala, „phala, est turris lignea, quae pro fallacia etiam usurpatur, ea ratione, qua „machina et sutella et fabrica."

146) Libri sequimini, praeminare (Lindem. p. 275 praeminate) sequere, temeti timor. — Scalig. coniecit sequere prae, mi nate, s. t. t. — Dacer. sequimini, i prae, mi nate, s. t. t. — Both.:

„séquimini me, praémiati! séquere, temetí timor;

„rectius, ni fallor, nos praemiati, a praemiando, h. e. praemiatores, praedatores, qui aliquid domo vel aliunde surripuerunt, de quo helluentur. Temeti timor, per iocum appellatur bibo, ut qui velut timeatur a temeto seu „vino, quod ebibere totum cupit." — Scripsi ne praemeate; praemeare, i. e. praeire; ne ob antecedentem syllabam ni facile omitti poterat.

147) Both.: „Depatici quid nominis esse dicam, nescio, neque dubito, „quin sit depravatum. Scribi possit In Hepaticis, propter h et d litterarum „similitudinem." — Vulgo de pathicis; Iun. Depaticis, edd. Pariss. s. v. dicebo Pathicis, quod fort. recte. — Ed. Ven. primumque dicebo recte, secundum quod eo melius dii prodam.

apud Non. dicebo p. 507, 2:

— prímum quod dicébo, recte,
secúndum, quod dicébo, eo meliús [148]).

apud Non. vivebo p. 509, 3:

tibi, quum vivebo, fidelis ero [149]).

Dotata:

apud Non. artivit p. 505, 29:

artívit in palátum linguam, coépit labia súgere [150]).

Equuleus:

apud Prisc. VI p. 681:

oleas, cepe, ficus.

Exodium:

apud Non. gallulare p. 116, 24:

púerum mulierí praestare, némo scit? quantó melior sit,
cúius vox iam gállulascit, cúius ramus róborascit [151])?

apud Non. pilare p. 39, 27:

patí dum poterunt, ánte quam pugaé pilant [152]).

apud Non. datatim p. 96, 19:

non lúdunt in molís raptim pila, át datatim mórso [153]).

---

148) Both. abesse mavult eo.

149) Vulgo quum fidebo; ed. Ven. videbo, quod emendavit Lips. Epist. Quaest. IV, 19. — Laurenb. Antiq. p. 493 dum vivebo.

150) Vulgo artivit linguam in palatum. — Both.: „Dotatae frag„mentum parum intelligo, nec tamen corrupti aliquid inesse in eo putem."

151) Vulgo cuius vox gallulascit, cuius iam ramus robor. — Iunio puerum mulieri praestare tanquam Marcelli scholion a Novii verbis separandum videtur. — Bothius:

„púerum mulierí praestare, némo scit? quantó siet
„mélior, cuius vox gállulascit, cúius iam ramus róborascit?

„Voss. Etym. v. Gallus: „„hinc gallulo et gallulasco, quod dicitur de voce „pubescentium, eo quod grandior fiat similisque galli gallinacei."" Ramus, „virilia, quorum plures eiusmodi περιφράσεις exstant in utraque lingua, ani„madvertit Lips. Epist. Quaest. I, 18."

152) Laurenb. Antiqu. p. 338: „pilare, premere, cogere. Nov. Exod. pati dum poterunt, antequam pugni pilant." — Pugae recte; pugae, i. e. pygae, et pilare hoc loco pilis vestiri; cf. Schoppii Comment. ad Priap. XVIII, 2: „Novius apud Non. pilare: antequam pygae pilant, i. e. antequam crines in natibus crescere incipiant."

153) Vulg. in molis non ludunt raptim pila, datatim morso. — Lips. Epist. Quaest. I, 18 proponit pro molis, scholis vel choris. — Gothofr.:

apud Non. argutatur p. 245, 29:

quándo ad ludos vénit, alii cúm tacent, totúm diem
árgutatur quási cicada [154]).

apud Non. rarenter p. 515, 24:

múltum ames, paulúm des crebro, vénias rarentér ⏑ – [155]).

Fullones:

apud Non. pistillus p. 221, 3:

téstas, patinas, pístillas mihi cántant – ⏑ ⏑́ ⏑ – [156]).

apud Non. anima p. 233, 19:

nihil ést pericli, dábo tibi validúm virum,
virum ánimosum [157]).

Fullones feriati:

apud Non. comest p. 81, 22:

⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ vortit se in ómnes bestiás, comest
quídquid tetigit tántum [158]).

Funus:

apud Fest. temetum:

agite,
exíte, temuléntiamque tóllite [159]).

„si molis retinemus, videtur hoc velle, servos inter molendum de polenta ra- „pere et invicem alium alii dare." — Turneb. Adv. VI, 4: „tria genera pilae ludendi: datatim (unde datores in Plaut. Curc. II, 3, 18), raptim et expulsim (Varro Serap.: videbis in foro ante ianuas pueros pila expulsim ludere)."

154) Cf. Burm. ad Petr. c. 45, p. 303; arguta cicada Mart. Epigr. XI, 19, 5.

155) Mercer.: „frustra mutare conantur viri docti; rectum est: paulum „des crebro; praecipit amanti monitor, ut crebro det, sed paululum." — Palmer.: „multum ames, es paulum, des crebro etc.; quod addit ve- „nias rarenter spectat eo fortasse, ne proiecta et vulgata copia rarescat „amor, aut quod uni se soli non libenter dant meretrices."

156) Vulgo testes, pestinas. Iun. recte patinas et Both. testas.

157) Vulgo virum validum.

158) Both. vortit sese in bestias omnes.

159) Al. exigite temulentum. Lindem. p. 275: temulentum tollite, al. temulentiamque. — Merula ad Ennium Annal. p. 418 totum locum Novio abiudicat et Naevio tribuit: „lego, inquit, et transpono: Novius in duobus Dossennis: sequimini etc. et in Surdo: filias etc. Naevius (qui scribentibus praeerat et praeierat iisdem verbis, falsus similitudine

Gallinaria:

apud Non. sonticum p. 2, 19:

ó operae coáctor, cantor, cúrsor, senium sónticum [160].

apud Non. tolutim p. 7, 6:

ó pestifera, Póntica, fera, trúx tolutiloquéntia [161].

apud Non. mactare p. 342, 9:

mácto te his verbénis, macta tu íllanc infortúnio [162].

Gemini:

apud Non. festiviter p. 510, 15:

ó domus paráta pulcrae fámiliae festíviter [163].

Hetaera:

apud Non. artivit p. 505, 31:

---

nominum Novii et Naevii, quia huius illius testimonio subiiciebatur, idem dictarat) in libr. III, sc. belli Punici:

— funera agitant, exsequias ititant,
temulentiamque tollunt;

quod fragmentum integrius Calpurnius I:

sis (sic) Poenei contremiscunt artibus, universûm
magnei metus tumultus pectora possidet;
caesûm funera agitant; exsequias ititant,
temulentiamque tollunt festam."

Hermannus Elem. metr. p. 632 locum suspectum habet: „Aliud libri III fragmentum idem ex Calpurnio affert, sed ut vix possit fraudis suspicionem effugere."

160) Vulgo opere, quae actor; Lips. ant. lect. V, 14 operae coactor. Interiectionem o, quae ob sequentem litteram o facile omitti poterat, ob versum supplendum adieci. — Bothius:

„— operae, quae actor, cantor, cursor. senium sonticum!
„operae, sive operae pretium est, quantum absumunt actor, cantor, cursor in „stadio. Id sibi, qui sumtum praebuisse videtur, senium esse ait sonticum, „h. e. noxium et grave, siquidem sonticus derivatur a sons, hoc a σίνω, no„ceo, ut annotat Voss. in Etym. L. L. v. sons."

161) Libri pontica, Guilelm. Veris. 2, 7 coniecit sontica, i. e. noxia, unde sonticus morbus, sontica causa." — Mercer.: „Guilelmo credo sonticam reseribenti pro ponticam." — Pontica tuetur Both., Iuven. Sat. XIV, 113 comparans: quam si fortunas servet easdem Hesperidum serpens ut Pontica, i. e. Colchica.

162) Legitur in libris: macto te misce virginis verbenis, mactat villam in fortuito, unde Iun. macto te hisce virgis, verbenis, macta tu illam infortunio, vel macto te hisce privis verbenis etc. — Bothio assentior, qui virgis, quippe explicationem vocis verbenis, in ordinem receptum putat.

163) Edd. Pariss. pulcrae, ed. Plant. et Sed. pulcre.

⏑ ⏑ – cognátus artivít matri inter fémina fórtiter [164]).

Liciniaria[165]):

apud Gell. XV, 13:

quía supellex múlta, quae non útitur, emitúr tamen.

apud Prisc. V p. 657:

signáre oportet fróntem calida fórcipe [166]).

Macci:

apud Non. caseum p. 200, 9:

— pecúnia
quíd? bonum breve ést, respondi, e Sárdis veniens cáseum [167]).

---

164) Vulgo conatus, ed. Ven. cognatus. Mercer. coniecit quum natus artivit matri inter feminia f. — Both.:

„quum nates artivit matris inter femina fortiter;

sermo videtur esse de Oedipo, *μεταῤῥυθμιζομένῳ εἰς γελοῖον*, ut in tali fabula;" quod dubito.

165) In Gellio vulgo Novius in Ligartaca s. Ligararta Licinaria. — Gronov. ad h. l.: „Licinaria est in Gryphia anni 1539. In Ms. regio le„gitur: Novius in ligat archiam in lignariam. Hinc primo clare pa„tet: Novius in Ligata. Sequentia forsan erunt: etiam in Lignaria, „ut duobus locis usurpaverit eundem versum et sensum. Ut hic Ligatam do„cuit, sic alius Suspectam, alius Personatam." — In Prisc. vulg. Naevius in Lignaria, Krehl. Nov. in Signario: „vulgo Naevius in Li„gnaria. Primum Novius pro Naevius praestant Mss. Luth. Lips. 1, 2, 3. „Erl. 2. Ita et Putsch. Vulgo Lignaria, quae lectio plurimorum Codd. v. c. „Lips. 1, Dresd., Erl. 1, Heidelb. auctoritate commendatur. Mss. Luth. Lips. 2, „qui plurimi valent, Signaria. Cod. Erl. 2 Lignario. Ex his lectionibus „meam concinnavi, quae quam commoda sit, non mei est iudicii." — Contra haec Spengel. in Varr. de L. L. p. 616: „in Prisc. VII, Tom. I p. 195 legitur No„vius in Lignaria: signare etc. Codd. quidam in Signaria, quod na„tum ex sequenti signare; nos pace Krehlii, qui in Signario edidit, repo„nimus Novius in Liciniaria. Ita enim scribendum esse, ex Gellio didi„cimus, qui XV, 13 haec tradit: Novius in Ligartaca verbum, quod est „utitur, ex contraria parte dicit: quia supellex etc. Sic vulgo. „Ed. princ. et Venet. II Ligararta. Codex, de quo saepius ad Varron., Li„gartaca quidem exhibet, sed in margine ab eadem manu emendatum legitur „Liciniaria, ex quo corruptum Lignaria." — Bothius: Lignaria (Ligartaca): „carpit Gronov. Lambecium ponentem Novius in Lignaria. „Sed recte, si quid video, Lambecius, neque ista inligat archiam et quae „alibi leguntur similia, quidquam aliud sunt, quam error, quem correxit libra„rius adscribendo, quod serius cognoverat, nomine genuino. Nam ita solet id „genus, neque alio pertinere putem virgis Gallinariae."

166) Both.: „tanquam fugitivo aut captivo, stigmatice. Romanos etiam „liberorum hominum, qui calumniae damnati essent, frontibus K litteram in„ussisse, quoniam prisci kalumniam scribebant, secundum alios monet Lips. „Elect. 2, 15."

167) Both.: „Maccorum fragmento quaerere dominus videtur ex servo,

Maccus Copo s. Caupo:

apud Fest. nictare:

actútum scibis, quum ín nervo nictábere [168]).

Maccus Exul:

apud Non. tolutim p. 4, 8:

⏑ ⏑́ ⏑ – edíxi iturum hominem ín Tuscos tolútim [169]).

apud Non. labium p. 210, 23:

vérberato pópulus homini lábias pugnis caédere [170]).

apud Non. limen p. 336, 12:

límen superum, quód mihi misero saépe confregít caput,
límen inferum aútem, ubi ego omnes dígitos defregí meos [171]).

apud Non. vesci p. 416, 4:

— cur istaec vadimónia?
suum véstimentum vésceris [172]).

„quem in urbem Sardium miserat, quid agat pecunia, pro caseo ibi vendito re-„ferenda. Cui respondet per iocum servus: caseum venientem, h. e. portatum, „in tam grandem urbem esse breve bonum, nec longe durare acceptum pro eo „argentum." — Quid Campanis vel Romanis agricolis cum Sardibus, Lydorum urbe? Coniicio itaque: e Sardis veniens caseus, i. e. caseus e Sardinia allatus, qui, ut videtur, talis erat, ut recens factus optimi saporis mox consumendus esset, quia aliquamdiu servatus facile depravaretur. Sensus loci igitur hic est: prodigus, quem nescio quis ob dissipatam pecuniam reprehenderat, respondet: pecunia quid aliud est, quam breve bonum, e Sardis venienti caseo simile; fruamur itaque utroque cito, antequam pereat.

168) Vulgo actudum, scribit et scribes, unde Scalig. recte actutum et scibis fecit. Apud Lindem. p. 184: Novius in Macchoco pone (f. Maccho Copone) actutum scribere (f. scribes), cum in nervo nectabere (f. nictabere). — Bothius: „malim per synchysin, quae irato convenit, numerisque probioribus: act. in nervo scibis cum nictabere."

169) Both. tolutim in Tuscos.

170) Vulgo Naevius Maccho: Exsule verberatio; Iun. Novius Macco exule: verberato.

171) Ed. Sed. pro mihi, mei; pro defregi Iun. confregi; alterum limen ex coniectura inserui metro iubente; Bothius versum iuvat verborum ordinem mutans:

„inferum autem, digitos omnes úbi ego defregí meos.

De limine supero et infero vid. interpp. Plaut. ad Mercat. V, 1, 1. Plinii ad H. n. XXIX, 26."

172) Vulgo Curisis tunc, cur is istuc. Ed. Sed. Curis istuc. — Laurenb. Antiqu. p. 486: cur is istuc — vescitur. — Both.:

apud Non. derepente p. 518, 15:

scálpes dentes dérepente, in coéna si peccáveris[173]).

Malevolus s. Malevoli:

apud Non. inaudire p. 126, 20:

— únde hoc tam repénte
iucúndum inaudiví melum[174])?

apud Non. percontat p. 474, 5 (Novius Malevolis):

sí percontassém, malum hoc me praéterisset ⏑ ⏑ –.

Mania medica:

apud Non. praesente p. 154, 21:

té volumus donó donare púlcro, praesente ómnibus[175]).

apud Non. pistillus p. 221, 1:

— lacrymaé cadent,
cadét pistillus[176]).

Milites Pometinenses[177]):

„cur istuc in vadimonio suum vestimentum vesceris;
„in vadimonio, cum vadimonium tibi sit cum illo, cuius vestimentum pro pignore „abstulisti et eo uteris veluti tuo. Suum, eius, vid. Parei Lexic. Plaut. v. suus „et grammaticos.“ — Sensus est: quaeris, cur istaec vadimonia tibi faciat nescio quis? quia uteris eius vestimento tanquam tuo.

173) Vulgo scalpis, in cenam, Iun. in scenam. Bothius: „scalpturum istum dicit dentes suos colaphis contusos, si peccaverit in scena. Plaut. Cist. 512:

qui deliquit, vapulabit, qui non deliquit, bibet,

ubi vid. interpp.“

174) Bothius:

únde hoc tam repénte tam iucúndum inaudiví malum?

Edd. Pariss. Naevius Malevolo. Novius iam propterea scribendum puto, quod in Nonio sequitur Naevius belli Punici libr. II; blande etc. Solet enim Non., quum eiusdem scriptoris fragmentum citat, nomen non iterare, sed addere idem belli Punici. Ed. Ven. recte Novius. —

175) Vulgo Mania: Medicate s. Meditate, quod Gothofr. recte mutavit in Mania Medica: Te; cuius fabulae titulus infra legitur v. pistillus. — Bothius: „Festus: Maniae turpes deformesque personae etc., ad quem locum Scal. monet, apud Varronem Maniabus etiam adnumerari lactentium deas praesides Cuninam et Ruminam a cunis et ruma dictas. Sed in hac fabula nescio quae Mania medica inducebatur, medicamenta terens pistillo, quae per vim ludicram pueris trepidantibus ingereret;“ cf. quae supra de Mania diximus.

176) Edd. Pariss. calet.

177) Pometinenses; Iun.: „male Parnetinensibus legitur in vulgatis libris.“

apud Non. valgum p. 25, 11:

válgus, veterinósus, genibus mágnis, talis túrgidis [178]).

apud Non. mercatus p. 212, 30:

ínstat mercatúram; spero, rém faciet, frugi ést homo [179]).

apud Non. simile est p. 224, 27 [180]):

tú pueri pusílli simile es, quía enim ad os fers, quídquid naotu's [181]).

Mortis et Vitae Iudicium [182]):

apud Non. esuribo p. 479, 8:

et vóbis otiósus sum, mi algébo, mi esuríbo [183]).

[si sápiens algebís, tremes. Cicer. de Or. II, 71.]

Optio:

apud Non. panus p. 149, 28:

---

178) Vulgo veternosus. Both.: „poscebat metrum veterinosus. „Describitur, nisi fallor, aliquis ex istis militibus, quibus similes nostri, quos „vocant, Spiessbürger.“

179) Libri instant, quod iam emendavit Scalig. Comment. ad Priap. LXVIII, 4, sic versum exhibens:

instat mercaturam, credo rem faciat. frugi est homo.

Both.: „instat, haud nolim quoque instans.“ — Pro spero, rem Iun. peiorem.

180) Edd. Pariss. et Plant. hic Naevius M. P.; Novius scribendum esse, iam eo patet, quod Naevii fragmentum antecedit; si nostrum fragm. etiam Naevii esset, Nonius ex more dixisset idem M. P.

181) Ed. Sed. pausilli, naetus est. — Bothius:

„tú pusilli símile es, quia enim ad ós fers, quidquid náctus es;

„explicantis est illud pueri; rectum pusilli a pusio, quod idem sonat. Nec „recte Non. simile est pro similis est, pro masc. positum neutrum: siquidem non omnino insolens est usus neutri pro ceteris generibus, qua de re vid. „Sanct. Min. 4, 4, 10, et hoc loco neutrum pertinere potest ad ἐξουθενισμόν, quasi „res dicatur, non persona.“

182) In hac fabula fortasse Ennii Satiram imitatus est; cf. Quinct. Inst. IX, 2: „formas quoque fingimus saepe, ut Famam Virgilius, ut Voluptatem ac „Virtutem, quemadmodum a Xenophonte traditur Prodicus, ut Mortem ac „Vitam, quas contendentes in Satira tradit Ennius.“

183) Cf. de hoc loco supra. — Both.: „ita nihil mihi vobiscum negotii est, „ipse me vestiam, ipse me sustentabo. Ridicule dictum: algebo et esuribo „pro contrario.“ — Laurenb. Antiq. p. 157 ita mihi otiosus sum etc. — Ita vulgo; ed. Ven. et.

ᴗ quí me miserum míseriorem réddidit,
quam pánus puerum [184]).

Pappus praeteritus:

apud Non. capulum p. 4, 29:

⏑́ ᴗ dum istos ínvitabis súffragatorés, pater,
príus in capulo, quam ín curuli sélla suspendés nates [185]).

Parcus:

apud Gell. XVII, 2: „Novius in Atellana, quae Parcus inscripta est, hoc verbo (fruniscі) ita utitur;“ et Non. frunisci p. 113, 9 [186]):

quód magno opere quaésierunt, íd frunisci nón queunt,
quí non parsit apúd se, frunitu'st [187]).

Pedius [188]):

---

184) Iun.: „Optio, fort. legendum Adoptio.“

185) Vulgo invitavis, ed. Ven. et edd. Pariss. invitaveris, Mercer. recte invitabis. — Edd. Pariss. suspendit, ed. Ven. suspendis. — De Pappo male Both.: „Pappus seu Papus cognomen gentis Aemiliae fuit, quod „hic intelligendum censeo, ubi admonetur candidatus, cui metuenda est repulsa. (Pappus hic ut alibi in Atellanis nota illa Osca persona est.) Festus: „„Suf- „fragatores dicebantur apud maiores hi, qui vulgo in usu erant candidatis: „nam ut melius apparerent iuncta suffragia, suffragator quem quisque vellet, „notabat apposito puncto scriptis candidatorum hominum nominibus. Varro in „libr. VII Rerum human. hoc tradit.““ — De capulo Non.: „„Capulum di- „citur quidquid aliquam rem intra se capit““ etc. Sed rectius Fest.: „„Capu- „lum (seu capulus) et manubrium gladii vocatur, et id, quo mortui efferun- „tur. Utrumque a capiendo dictum.““ Quod vult Nonius, capulum seu sarco- „phagum significare sepulcrum, fallitur, ut monet Mercer. et Voss. in Etym. L. „L. v. capulus, quia capulus non est arca, qua conditur mortuus, sed qua effer- „tur. Mercer.: „„Capulum, inquit, sarcophagus, arca, eadem sunt, nisi quod „arca e lapide, capulum fere e ligno, sarcophagus e plumbo.““

186) Gronov. ad Gell. l. c. „Parcus, sic iam edidit Steph. eumque titulum „approbat ad Non. Mercer. Ex libris nostris etiam ita profert Lugdun. min. et „Patav. Alii retinent Partus, quod est priorum edd., quum cod. reg. exhibeat „Pareus.“ — Mercer. ad Non. l. c.: „titulus fabulae Novianae Parcus apud „Gell., et libri nostri iuvant, in quibus par eo. Fragmentum ipsum idem evin- „cit, quod certe de parco aut potius de avaro.“

187) Vulgo magnopere; Gronov.: „magno opere legunt codd. vett. Regius, Lugd. min., Lincoln.“ — Vulgo fruisci; Heins. ad Petr. Sat. c. 43 ed. Burm.: „fruiscor apud Non., opinor scribendum fruniscor vel fruiniscor, v. Fest. in fruinor et fruniscor.“ — Mercer.: „frunisci, ita diserte libri nostri, quomodo et Gelliani, unde habet noster.“ — Both.: „frunitu'st, libri frunitus est.“

188) Turpilius quoque Pedium scripsit, quam fabulam Iun. e Menandri παιδίῳ transversam habet. — Both.: „Pedius (Paedium, παιδίον?).“

apud Non. grassari p. 316, 5:

[dúm] certamus, síne diploide a récta grassatúr
via[189]).

apud Non. ibid.:

núnc res me ipsa réprimit, saepe hac sum éadem
grassatús via[190]).

apud Non. rostrum p. 455, 13:

nec únquam rostrum vídit haec tragoédia
tantúm Titi[191]).

apud Non. accus. pro genit. p. 500, 15:

quó tu res vis hánc privari púlcras, quas utí solet[192])?

apud Non. rica p. 539, 20, mollicina p. 540, 22, caltula et crocotula p. 548, 25:

móllicinam, crocótam, chiridótam, ricam, rícinum[193]).

---

189) Legitur vulgo sine sensu: certamus si me diploidi a r. g. v.; Iun. Cretanus sine diploide. — Mercer.: „Cretanus si me diploidi. „— Novio medicinam faciant docti, simul videant, cur bis eandem fabulam nominet.“ — Both.: „veniebat in mentem, scribendum esse:

„Cretánus si me dédiploïdat, récta grassatúr via?

„rectene facit, si me diploide spoliat? Dedipl oidare ridicule fictum verbum, „ut decollari, depeculari etc.“

190) Edd. Pariss. haec, Iun. hac. — Merc.: „in libris nunc res me ipsam reprimit.“ — Both. saepe sum eadem hac g. v.

191) Ed. Ven. non bis Pedio i. e. Novius in Pedio; nec nunquam vidit rostrum haec tr. tantum uti. Edd. Pariss. et Plant. Turpilius Pedio. — Edd. Pariss. tantum uti, Iun. Titi: Titi, Ms. dici; var. lect. ed. Paris. 1583 tantum Titi v. c. tantum dici. — Both.:

nec unquam vidit rostrum, Tite, tragoedia
tantum.

192) Edd. quod, Steph. quot; Both.: „quo tu res; res privari „pro rebus, ut monet Nonius.“

193) Edd. Pariss. Non. rica: mollicinam — ricam. Ricinum Lucil. Sat.; Mercer.: „ricam ricinium, ita scribendum; male enim hic incipiebant alteram notam de ricinio contra mentem Nonii.“ — Both.: „nihili verbum videtur mollicina, quamvis id a mollitie derivet Marcellus. Recte se „haberet mollicula crocota, quam gestarent mulieres atque histriones, „quum foeminas imitabantur, item Bacchae (vid. Salmas. ad Tert. de Pallio p. „291 sqq.). Chirodota est manicata tunica, χειριδωτὸς χιτών, ὁ χειρίδας ἔχων, „ut ait Voss. l. l. v. chirodotus: nam χειρίς, inquit, unde χειριδωτός, notat ma„nicam etc. Quod genus vestimenti etiam ipsum ad mollitiem pertinet et luxum. „Vid. Gell. VII, 12. Rica Nonio sudarium est, sed Verrio apud Fest. v. rica, „ubi laudatur Titinii Incert. 10, vestimentum quadratum, fimbriatum, purpu„reum, quo Flaminae pro palliolo mitrave utebantur. Fuit capitis velamentum „seu cingulum, ut docet Voss. l. l. v. rica. De ricinio Pompeius: „„Reci-

apud Non. supparum p. 540, 11:

supparum purum, belliensem interim escam meram[194]).

Philonicus:

apud Non. penularium p. 148, 31:

non multo post sonarum accepit, absedet,
consequitur penularium, cilotrum petit[195]).

„nium omne vestimentum quadratum. Ii, qui XII interpretati sunt, esse di-„xerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, praetextam, clavo purpureo: „unde reciniati mimi planipedes.““ Ad quem locum Dacer.: „„ideo, „inquit, recinia virilia in luctu mulieres induebant, ut ea viris mortuis, ut mos „erat, iniicerent. Sic apud Virg. in Miseno (Aen. VI, 221):

„purpureasque super vestes, velamina nota,
„iniiciunt.

„A rica autem ricinium, et i in e mutato recinium, non vero a reiiciendo, „ut Varro et Servius rati sunt.““ Cf. Voss. Etym. L. L. et Dacer. ad Fest. v. rica, „item Osanni Anal. cr. p. 77.“

194) Sic vulgo sine sensu; viri docti varia conati sunt. Lips. Epist. Quaest. IV, 19: „s. p., Veliensem interim Oscam meram. Sermo de scortillo „quodam est, et supparum quidem eius purum est, inquit, at ipsa Veliensis, „mera Osca. Oscum, ut Opicum, inter convicia spurca in eas, quae capitis non „pudici. Tamen Isid. Orig. XIX, 22 Velenensem tunicam agnoscit, quae „affertur ex insulis. Igitur ita non male emendes et distinguas: S. p., „Velenense, interim Oscam meram.“ — Both.: „forte s. p., Vele-„nense, interim emes, escam meram. Iubet nescio quae mulier versuta „supparum sibi emi, quo induta, tanquam virgo, imperitum aliquem adolescen-„tulum inescet. De supparis Veliensibus nihil compertum habeo, sed Velia inter „amoenos et salubres secessus habita, ut monet Lips. Elect. 1, 10 extr., ubi „laudat Hor. Epist. I, 15, 14, quales locos amare solet omne genus artificum prae-„stantiorum.“ — Coniicio hoc et duo antecedentia fragmenta cohaerere. Iuvenis puellae cuidam varia vestimenta dono dederat ad amorem eius capessendum. Rixa inter eos orta, dona repetit. Recenset, quae tanquam amoris escam dederit: redde, inquit,

mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinum,
supparum purum, Veliense (s. Velenense) linteum, omnem
escam meam.

Tertius quidam, qui adest, rixae nescius, ex eo quaerit:

quo tu res vis hanc privari pulcras, quas uti solet?

195) Edd. Pariss. Fullonico. Iun. in Ind. ad Non.: „in Ms. legitur Philonico pro fullonico, ut fort. sit φιλονείκῳ.“ — Mercer.: „Novius Fi-„lonico, ita libri, quod non fuerat mutandum; Philonicus, ut Lesbonicus, De-„monicus. Novii versus edidi ut in libris, medicinam exspectantes a felicioribus „manibus.“ — Both.: „Filonicus (Philonicus). Ipsum λείψανον corru-„ptissimum est, sed fortasse ita restituendum, ut scribatur:

„non multo post sarracum accepit, adsidet,
„consequitur penularium, calidam petit.

„Videtur describi homo, qui perverse omnia faceret, ita ut inscenderet sarracum „seu soracum (σώρακον), quod genus vehiculi magis aptum fuisse videtur ad ve-„hendum merces quam homines. Fest. secundum Pollucem v. σώρακος: Soracum „dicitur, quo ornamenta portantur scenicorum. Cf. Voss. Etym. L. L. h. v. Si-

Phoenissae:

apud Fest. scirpus:

sume árma! iam te occídam clava scírpea [196]).

Picus:

apud Fest. rutabulum:

quíd ego facerem-? ótiosus ródebam rutábulum [197]).

Praeco posterior:

apud Non. labium p. 210, 25:

egó dedita opera, té, pater, solúm foras
sedúxi, ut ne quis ésset testis tértius
praetér nos, tibi quum túnderem labeás lubens [198]).

Quaestio:

apud Non. suavies p. 474, 13:

„militer iste adiit paenularium artificem et ab eo calidam petiit, tanquam a θερ-„μοπώλῃ. Steph., Maitt. pro cilotrum habent psilothrum, quod et ipsum „ferri potest, modo sit genuinum." — Equidem propono, quod proxime accedit ad vulg. lectionem:

non múlto post zonárium accipit, ábscidit;
conséquitur penulárium, psilothrúm petit.

Argumentum, ut videtur, e Graeca quadam fabula petitum de φιλονείκῳ, i. e. iurgiosa quadam muliere egit, quae amatores suos morositate vexare solebat. Frustra iram, qui forte tum eam deperit, demulcere donis studet. Queritur amator, eam zonarium (zonârium coniicio pro sonarum, i. e. theca zonae, ut paenularium secundum Non. theca paenulae) acceptum abscidisse, i. e. in contemtum donantis discerpsisse; consecutum esse paenularium, novum donum, psilothrum (sic ed. Ven.) illam petivisse. Paenularium quadrisyll. ob metrum.

196) Secutus sum vestigia lectionis, qualem praebet Lindem. p. 257: sume arma i. ante (f. iam te) occidam clava scirpià. — Vulgo s. a., id est an o. c. s. — Steph. habet s. a., i. e. iam te o. c. s. — Voss. fecit: s. a. Quid est? an o. c. s.? — Alii malint: s. a. Tydean' occidam cl. s.? — Both.: „sume arma. — quid est? — iam occidam e. s.; rectum quid „est? cur? quod alter alteri respondet, a quo provocatur."

197) Vulgo otiosi. Both.: „Fest.: rutabulum (a ruendo, ut vena-„bulum a venando, vid. Voss. Etym. L. L. h. v.) est, quo rustici in proruendo „igne panis coquendi gratia utuntur. Non liquescit facerem (fort. fecerim). „Rodit rutabulum, qui non habet, quod eo faciat, cui non est panis, quem „coquat."

198) Edd. Pariss. ergo. Iun.: „lego ego, quod lex senarii id postulet." — Both.: „Posterior, nisi fallor, quia bis hanc fabulam docuit edititque No-„vius, sicut solebant poetae dramatici; qua de re fuse disputavit nuper doctissi-„mus Iacobsius in Prolegom. editi ab ipso Achillis Tatii. Tundere labias, os „obtundere, ut Plaut. Casin. 674."

mámmas teneas, suávies, pedés extollas, quúm gemit[199]).

Sanniones:

apud Non. purpurissum p. 218, 30:

ínlino cretám, cerussam, púrpurissum ⏑ ⏑ –[200]).

Surdus:

apud Fest. temetum:

fílias habeo témulentas, séd ĕccas video incédere[201]).

Tabellaria[202]):

apud Diomed. I p. 376:

— dotem ad nos nullam adtulat.

apud Non. pannus p. 218, 26:

quí habet uxorém sine dote, pánnum positum in púrpura est[203]).

Togularia:

apud Fest. quisquiliae:

— abi, deturbate saxo,
hómo non quisquiliaé. — quid est[204])? — —

---

199) Vulgo m. t. pedes extollas, suavies, cum gemit; scripsi suávies, pedes ext. ob metrum. Ed. Sed. congemit. Scal. ad Varr. de L. L. VI, 3 malit congenues, genua iungas. — Both.:

„mammas tenes; pedes extollas, suavies, congemines,
„h. e. si mammas tenes etc. Est hoc praeceptum quoddam artis ama-
„toriae.“

200) Libri habent quidem Naevius Sannionibus; Mercero tamen assentior Novio fabulam vindicanti: „Naevius, inquit, credo Novius et in eo purpurissam.“ Sannionum enim nomen Atellanam potius, quam Palliatam prodit. — Edd. Pariss. in licio, in marg. in lino.

201) „Filias pronuntiandum est ut filjas, metri gratia.“ Both.

202) De hac fabula potest dubitari, num sit Novii. Diomed. habet Naevius, Nonii edd. Pariss. praebent Naevius, ed. Sed. Novius. — Both.: „Tabellaria intelligi potest nuntia, quae tabellas perfert, praesertim amantium. „Sed praestat accipere fabulam tabellariam, togulariam, in quibus actum fuerit „de nescio quibus tabellis togulisque.“

203) „Pannus in purpura positus pertinet ad dedecus, quod is dicitur accipere, qui indotatam duxit.“ Both.

204) Apud Lindem. p. 218: abi deturba te saxo. — Both.:

„a. ábi abi! deturbáte saxo! hóme non quisquiliaé. — b. quid est?

Fr. hians explevit Ioh. Scalig. Abi contemnentis est.“

Tripertita[205]**):**

apud Non. pingue est p. 218, 15:

si aútem pingué est, mále cubandum est, pútres panticés ⏑ –[206]).

apud Non. desubito p. 517, 22:

póstquam haeredem sése vidit, désubito divórtium fécerunt[207]).

Vindemiatores:

apud Non. progredi pro progredere p. 473, 25:

quid stás? age move te ìnánem! primus prógredi[208]).

apud Non. praelumbare p. 156, 10:

⏒ ⏑ coepit únumquemque praélumbare fústibus.

Virgo praegnans:

apud Non. sapivi p. 508, 20. Prisc. X p. 879:

quándo ego
plús sapivi, quí fullonem cómpressi Quinquátribus[209]).

apud Diomed. I p. 370. Prisc. X p. 875 et 906:

an náta est sponsa praégnans? vel ai, vél nega[210]).

apud Non. puriter p. 516, 20:

---

205) Tripertita Mercer., in libris Tripartita, Iun. Triperdita.

206) Edd. Pariss. putrem panticas, in marg. ast putent pantices. Mercer. putent ponticas. Both.: „putent pantices; si pingue est, „si aliquid id pingue est, de quo loquitur homo, scortum vel mulier; neque enim „opus est, ut pingue est accipiatur cum Marcello pro pinguis est.“ — Scripsi putres pantices, ut Priap. LXXXIII: „latet iacente pantice abditus specus,“ i. e. abdomine laxo, flaccido; similiter mammae putres apud Horat. Epod. VIII, 7, i. e. laxae.

207) Vulgo postquam se vidit heredem.

208) Edd. Pariss. et Plant. quid stas, age, move te inanem, primus progredi. Iun.: „huius lectionis fidem in me recepi pro eo, quod in Ms. „erat qui discas ege move inanem pr. pr.“ — In notis ed. Paris. 1583: „forte ita legendum: move te in navem, ut loquatur de navi vinaria; citatur „enim locus ex Novii Vindem.“ — Both. quid stas? age, move te, ignave! i prius! progredi!

209) Ed. Sed. quin fullonem. Mercer.: „quando, magis placet „quanto, item qui full., ut in vulgatis et in Prisc., qui locum hunc Nonii „laudat libr. X, apud quem male Naevius pro Novio.“ — Both.: „Quin- „quatribus, diebus fastis Minervae, qui Graecis Παναθηναῖα; cf. Voss. Etym. „v. Quinquatrus, Parei Lex. Plaut. v. quinquatria.“

210) Priscian. nomen fabulae non indicavit.

sequere me!
púriter voló facias; igni átque aqua accipere hánc volo [211]).

[apud Fest. nobilem: Livius in Virgine:
ornamento incedunt gnobili ignobiles [212]).]

Zona:

apud Non. libertatem uti p. 481, 21, vulgaria p. 488, 25:
átque facilitátem, video -, úteris vulgáriam [213]).

apud Non. duriter p. 512, 4:
duriter me habere, vigilasse.

Novii incertarum fabularum fragmenta.

Apud Non. ficitatem p. 109, 22:
ficitores
ómnes capiunt fícitatem; mérx est sine moléstia [214]).

Apud Non. praecox p. 150, 18:
huíc puellae praécoquis libído inest [215]).

211) Vulgo volo hanc accipere; Steph. hunc.

212) Osann. Anal. crit. p. 53: „porro (Livii Andronici) fabula virgo Fest. v. „nobilem, quamquam an ea Livii sit dubitari potest, quum etiam Naevii „(Novii) nomine citetur Virgo praegnans apud Prisc., quam eandem esse „coniicio. Παρθενίδιον Graece scripsit Araros; Fabr. Bibl. Gr. II, p. 422 ed. „Harles." — In Festo vulgo legitur ornamenta; apud Lindem. p. 184: „Livius in Virgo (fort. Virgine) ornamentum incendunt nobili ignobiles (f. ornatu incedunt gnobili)."

213) Edd. Pariss. s. v. vulgar. atque f. v. uti v. Iun. aquilae — uteris. Steph. aquae facil.

214) Ed. Ven. et edd. Pariss. iners est, Iun. correxit merx est. Ed. Sed. mers est. — Legendum coniicio Novius Ficitore: si omnes capiunt etc., ut sit Ficitor fabulae titulus.

215) Bothius: „Gell. X, 11, postquam posuit ista ex Afranii Titulo: ad„petis dominatum etc.: in quo versu, inquit, animadvertendum est, quod „praecocem non praecoquem: est enim casus eius rectus non praeco„quis, sed praecox. Red recte interpretes opponunt hoc Novii exemplum et „formam praecoquus, qua usi Columella et Martialis. Quamquam fieri pot„est, ut inusitatum sit aut soloecum praecoquis, sed personae isti Novianae, „quae qualis fuerit ignoramus, conveniens positumque tanquam χαρακτη„ριστικόν."

Apud Non. penus p. 219, 30:
do facta meam in penum componam satius est [216]).

Apud Non. pedis pro pediculo p. 220, 26:
est pedis unus ingens in naso.

Apud Non. quaesti, quaestuis p. 483, 20:
pér deam sanctám Lavernam, quaé sit cultrix quaéstuis [217]).

Apud Non. accus. p. 495, 24 (Novius Erisace):
míllia
sex nómmûm in arcam dímisi nummáriam [218]).

Apud Fest. vecors:
coactus
trístimoniam éx animo detúrbat et vecórdiam [219]).

Apud Prisc. XI p. 910:
sallitarus istaec mittam salem [220]).

Apud Prisc. XV p. 1010:
festiviter [221]).

---

216) Ita libri, unde interpp. fecerunt Novius Dotata: meam etc. — Both.: „de facto, de proventu annuo, quod et sententiae metroque convenit „et propius est codicum scripturae."

217) Vulgo quae cultrix quaestuis sit. — Both.: „Lavernam, „deam furum, cuius ara fuit Romae ante portam Lavernalem. Vid. interpp. „Varron. ad l. IV de L. L. p. 39 ed. Dundr., Horat. ad Epist. I, 16, 60, Fest. ad v. „Lavernionea."

218) Pro Novius Erisace habet Both. Nov. Eurysace, sed, ut supra docui, Eurysace errori debetur librarii, qui ex antecedenti Accius Eurysace hic vocem Eurysace iteravit, quare titulus Novianae fabulae excidit.

219) Alii: Naevius in Colace: tristim. — Secutus sum Lindemannum p. 277, qui haec praebet: Vecors: Novius in . . . coactus testimoniam (tristimoniam Pr.) ex animo deturbat et vecordiam. — Bothius versum, quem Festus s. v. tam pro tamen citat:

ῡ quí sitaceat, dúm videat; tam etiám sciat,
quid scriptum sit,

Novio dat, sed apud Lindem. p. 273 Naevio tribuitur. Lupum fabulam apud Fest. redhostire cum Bothio Naevio assigno, quamvis apud Lindem. legatur Navius (f. Novius) in Lupo.

220) Krehl. (I p. 514): „Novius; ita Cod. Dresd. novimus exhibentis „vestigia secutus edidi pro Naevius. Plures Codd. Livius. Ita et Cod. „Ven." — Both.: „salliturls; sallituras, cuius formae una cum salsurus „olim usurpatae hoc est exemplum."

221) Pertinet fortasse ad fragmentum e Geminis Novii a Nonio citatum:
o domus parata pulcrae familiae festiviter.

Apud Macrob. Sat. I, 10:

Novius, probatissimus Atellanarum scriptor, ait:

ólim veniunt éxspectata séptem Saturnália [222]).

Apud Macrob. Sat. II, 1:

Novius vero Pomponiusque iocos non raro dicteria nominant.

Apud Fronton. IV, 6, p. 105 ed. Maii:

„Inde salutato patre meo aqua mulsa sorbendo usque ad gulam et reiectando fauces fovi potius, quam dicerem gargarissavi, nam ad Novium credo et alibi. — Deinde uvis metendis operam dedimus et consudavimus et iubilavimus et aliquot, ut ait auctor [223]), reliquimus altipendulos vindemiae superstites et rusticos cavillantes audivimus libenter."

---

222) Vulgo olim exspectata veniunt.

223) „Num Novius paulo ante appellatus?" quaerit Maius. Coniicio locum desumtum esse e Novii Vindemiatoribus a Nonio bis citatis et sic scriptum fuisse:

aliquot relíquimus
vindémiae altipéndulos supérstites.

III.

C. Memmii (s. Mummii) Atellanarum poetae fragmenta.

Iunius:

apud Charis. I p. 118: „testu, ut genu, Flav. Caper veteres ait dicere solitos; Mummius in Atellana Iunius:

ád spectacula ést videre in téstu, quantum sít caput [224]."

Memmii incertarum fabularum fragmenta.

Apud Prisc. X p. 910: Mummius:

isthaec sum multo sale salsurus.

Apud Non. clivus p. 194, 31: „clivus gener. masc. ut plerumque. Neutri apud Memmium invenimus, cuius auctoritas dubia est:

ille árduâ niténs Fortunae escéndere
cliva [225]."

224) Laurenb. Antiqu. p. 461: Nummius Avellana: Iunius ad spect. — Barth. Advers. IV, 5: „Iunius Atellanae nomen est, Brutus puto alioqui „inscriptae." Cf. supra p. 89.

225) Ed. Plant. scandere. — Mercer.: „libri nostri scendere, e quo „feci escendere, probum verbum iam a doctis restitutum infinitis veterum „scriptorum locis." — arduâ sc. via, non coniungendum cum cliva, quod metrum vetat.

Apud Macrob. Sat. II, 1: „C. Memmius quoque, qui post Novium Pomponiumque diu iacentem artem Atellaniam suscitavit, ait:

nostrí maiores, véluti bene multa ínstituere, hoc óptime,
a frígore summo fécere dies séptem Saturnália [226]."

226) Vulgo sine metro velut, et a frigore fecere summo.

IV.

Incertorum poetarum fragmenta.

Apud Varr. de L. L. p. 315 ed. Spengel.: „Cascum significat vetus. — Item significant in Atellanis aliquot Pappum senem, quod Osci Casnar appellant 227).“

227) Speng. ad h. l.: „Atellanis, Atellaneis vulgo. — aliquot, „aliquod Havn. — Pappum senem Flor. Havn. Sciopp. pupum senem „Cod. B. ed. pr. vet. Rhol. Ven. 1, 2, Ald. Bas. Paris. Gryph. Vulg. Vertr. — „Casnar, Havn. Carnar.“ — Reuvens Collect. litter. c. 9, sect. III §. 3 p. 149 sqq.: „Cascus occurrit insuper apud Varr. 585, apud Cic. Tusc. I, 12, „ubi Ennius pro priscis Casci traditur dixisse, Auson. XXII, 27. Paul. Diac. „Cascus explicat antiquus. Casnar Paul. Diac. senem explicat. Non. II, „136: Carnales, sedules (seniles). Ios. Scalig. in verb. etymol. ad calc. Coni. „ad Varr. τὸ cascus ducit a casus, antiquus, sed unde casus? Dacer. „ad Fest. cascus a κακός. Cascus i. q. cassus, unde et incassum, sane par „utrique debilitatis et inanitatis notio inest. — Casnar vel ab ipso Cascus deri- „vatur, vel certe ab eadem atque illud voce. Nam primo n intrusum est, quia „prisca antiquitas derivationis formas magis cultas et politas, quas adhibuit sermo „recentior, ignoravit. At vero terminatio illa ar in vocum derivatione et ipsa „antiquissima et ex antiquo Graeco sermone per magnam Graeciam in Romanum „est translata. Nam Graeci antiquissimi videntur habuisse terminationem deri- „vativam ηρ. Remansit haec in unico vocabulo ἐρίηρ, non ab ἐρι valde et ἄρω „apto, sed ab ἐρι et term. deriv. ηρ, in subst. δοτήρ, χαρακτήρ. Graeci porro „aliam terminationem derivativam habent in αρ: δάμαρ, δέλεαρ, ἔαρ etc. μάκαρ. „Orta videtur e barbaris linguis, quod Punice Hamilcar (?). Labente tempore „terminatio ηρ in ης et της mutata: δοτήρ et δότης, βουτήρ et βούτης; adiectiva „in ηρ in ηρης; ἦμαρ in ἡμέρα abiit, ἔαρ in ἦρ, κέαρ in κῆρ; παιδάριον a παῖ- „δαρ. In Latina ηρ in ăr, αρ in ăr mutatum. Siculorum μῶμαρ pro μῶμος, hinc „porro in regiones magnae Graeciae maxime affines ac primo quidem in linguam „Oscam migravit. Verba in ar Latina fere sunt extra usum, exceptis aular, „Caesar, calcar, calpar (dolii genus), cochlear, exemplar, instar, iubar, la- „quear vel lacunar, lucar, pulvinar, soliar, specularia a specular, torcular. „Falluntur, qui formam cochleare pro adiectiva terminatione sumunt. — Tur- „neb. Adv. XXIII, 15 pro pupum correxit Pappum; ceterum male explicat

Apud Varr. de L. L. VII p. 362 Speng.: „scortari est saepius meretriculam ducere, quae dicta a pelle [quae scortum dicta; Sciopp. ex Fulv. Ursini emendatione]. Id enim non solum antiqui, qui dicebant scortum, sed etiam nunc dicimus scortea ea, quae ex corio ac pellibus sunt facta; inde in aliquot sacris et sacellis scriptum habemus: ne quid scortum adhibeatur, ideo ne quid morticinum adsit. In Atellanis licet animadvertere, rusticos dicere: se adduxisse pro scorto pelliculam[228].“

Apud Fest. scorta: „Scorta appellantur meretrices, ex consuetudine rusticorum, qui, ut est apud Atellanos antiquos, solebant dicere: se attulisse pro scorto pelliculam.“

Apud Varr. de L. L. p. 372 Speng.: „Dictum mandier a mandendo, unde manducari, a quo in Atellanis obsonium vocant Manducum[229].“

Apud Suet. Tiber. 45: „ea (sc. Mallonia), relicto iudicio, domum se abripuit ferroque transegit, obscenitate oris hirsuto atque olido seni clare exprobrata. Unde nota in Atellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta percrebuit: hircum vetulum capreis naturam ligurire[230]).

„carduorum lanuginem a similitudine canitiei. Pappus cum Scalig. ad Varr. l. c. „intelligendum de nomine personae comicae, quae in Atellanis erat frequentis- „sima. Hac itaque ratione sic accipio: Pappum, personam tralatitiam in Atel- „lanis, quae fabulae erant Oscae originis, in nonnullis earum, et fortasse in „antiquioribus, quae Oscam linguam maxime servarent, aliquando Casnar „compellatam fuisse. Neve quis mihi obiiciat horum verborum Pappum se- „nem, quod Osci Casnar appellant traiectionem, pro quod Osci Pap- „pum senem Casnar appellant; quippe haec sermonis asperitas Varroni frequens „est, eiusdemque hoc ipso loco aliud exemplum habemus: item ostendit, „quod oppidum vocatur Cascinum, quod sane magis perspicue Varro „efferre potuit: item ostendit oppidum, quod vocatur Cascinum.“ — Bothius male: „Pupum senem; pupus, h. e. puer sive infans, ridiculi causa vocatus esse videtur senex, praesertim in Atellanis. Quare nihil mutandum censeo. Quod, quod nomen senis (immo quod, quia Osci Casnar appellant Pappum, Atellani in ludicro Osco simili nomine eum Cascum significant); exspectes quem, verum ita solet Varro. Proximo loco id enim, ubi pellis intelligitur, et sic passim.“

228) Cf. supra p. 57.

229) Coniicio, legendum esse a quo in Atellanis aliquot obscenum vocant Manducum. Recte enim iam observavit Scalig. Coniect. in Varr. de L. L. hoc loco non de obsonio, sed de Manducone intelligendum esse. Cod. Florent. apud Speng. habet ad obsenum, Havn. ad obscoenum, Paris. a ad ohaenum, Paris. b obscenum. — Schober: *Ueber die Atellanischen Schauspiele* p. 18 coniecit personam secundum Scal.

230) Nota; cum Oudend. et Ernest. versum intelligo, quo mores Tiberii

Apud Suet. Ner. 39: „Datus, Atellanarum histrio, in cantico quodam:

ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ,

ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum C. Claudii Agrippinaeque significans; et in novissima clausula:

Orcus vobis ducit pedes,

senatum gestu notaret [231]."

Apud Suet. Galba 13: „Quare adventus eius non perinde gratus fuit, idque proximo spectaculo apparuit. Siquidem Atellanis, notissimum canticum exorsis: *venit io Simus a villa*, cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac saepius versu repetito egerunt [232]."

---

notabantur. — Casaub. vult m o r a: vel versus tractim pronuntiatus vel intervallum, vel *Μῶρα*, fatua femina. — Ernest.: „videndum a n o t a pro ῥήσει, ut, „sicuti ποῦς Graecis de loco insigni poetae, v. Kuster. ad Aristoph. Ran. 1358, „sic ῥήσεις insignes notae dictae ~~sint ab impositis~~ notis in margine librorum." — Pro c a p r e i s I. C. Scaliger de Com. et Trag. in Gronov. Thesaur. ant. Graec. Vol. VIII habet c a p r i s. — Si versum restituere velis, ita fere facias:

ligúrit vetulus hírcus naturám capris.

N a t u r a pro pudendo, ut Graece φύσις; cf. Sciopp. ad Priap. XXXVIII, 2.

231) Ernest. ad h. l.: „unice vera est Lipsii explicatio: Pluto vos per pedes „ad Manes trahit, maximeque huc facit, quod apud Lucian. Dial. Mort. VIII „Cerberus Socratem pedibus detraxisse dicitur. Respiciebat histrio ad odium „Neronis in Senatum et consilium eius omnino tollendi, de quo c. 38." — Mortui per pedes efferebantur.

232) Casaub.: „in omnibus Mss. locus hic depravate exaratus reperitur; „fere enim scribunt: v e n i t i o n e s i m u s, atque ita possis facere: v e n i t O n e- „s i m u s; at in Viterb. pro nē est ñ, fortasse legendum n o s t e r S i m u s." — Ernest.: „Quia in omnibus Codd. exstant syllabae i o n e, Gronov. legit o h e, id- „que in textum recepit, quod non necessarium docuit Burm., quum etiam scri- „ptum a Suet. esse possit i o r e s i m u s, et i o non solum laetantis, sed etiam „indignantis aut aliter commoti vox sit. S i m u s, sive proprium in illo cantico „nomen fuit, sive comica illa persona, a naso sic per ludibrium dicta, senem „avarum indicabat, quem a villa in urbem redeuntem pavebant vel filii, vel servi. „Id tractum ad Galbam, senem avarum, e provincia Hispania velut e villa in „urbem redeuntem." — Winckelmann *Kunstgesch. B.* 8. *K.* 2, §. 24: „*Zuletzt fällt mir hier ein, dass die Römer den alten Kaiser Galba aus Spott* Simum *nannten, ohnerachtet derselbe eine Habichtsnase hatte* (Suet. Galb. c. 21: naso adunco), *welches der Verfasser des Musei Capitolini* (Bottari Tom. II, Tav. 19) *in einen Begriff zusammenverbunden, und berichtet uns, Galba habe eine Habichtsnase gehabt, die aber zugleich geplätscht gewesen* (non solamente avea il naso aquilino, ma anche schiacciato), *als welches ein offenbarer Widerspruch ist. Die Ausleger des Sueton berühren diese Schwierigkeit im geringsten nicht, und ich sehe kein Mittel zur Erklärung, als anzunehmen, dass man hier das Wort* Simus, *wie die Grammatiker reden*, per Antonomasiam *genommen und*

aus Spott das Gegentheil verstanden von dem, was man sagen wollen; denn ich bilde mir ein, man habe, um den Galba wegen des Hökers seiner Nase lächerlich zu machen, dieselbe eine geplätschte Nase genannt." — Contra hanc contortam explicationem rectius disputatur in Notis ad. h. l. p. 968 his verbis: „*Winckelmanns Erklärung dieser Stelle ist gesucht und passt nicht.* Simus *in den Worten* Venit io Simus e villa *ist nicht so streng auf die Nase des Galba zu beziehen, als vielmehr auf sein geiziges, zurückschreckendes Wesen; denn diese aus einer* fabula Atellana *entlehnten Worte deuten wahrscheinlich auf irgend einen habsüchtigen, komischen Alten, den man zum Spott wegen seiner Nase* Simum *in der Comödie nannte, und der durch die Nachricht seiner Zurückkunft aus der Villa ebenso sehr Schrecken erregte, als Galba bei seiner Rückkehr aus Spanien und bei seinem ersten Erscheinen im Theater in Rom. Den Zuschauern, welche durch jene Worte den Galba lächerlich machen wollten, lag der Geiz des Galba, den sie alle schmerzlich fühlten, näher als seine Nase.*" — Eodem fere modo vocem explicat Stievius l. c. p. 66: „Simus ille, quem apud Suet. Atellani a villa „venire cantabant, rusticus est, simo vultu (Virg. Moret. 107), qui et simulus cultor agri nominatur (Virg. ibid. 3; cf. Lucr. IV, 1062)."

Impressit Bernh. Tauchnitz iun.

CORRIGENDA.

P. 1. l. 15. pro *brevisse* l. *brevissime.*
- 30. l. 14. pro *caleatam* l. *coleatam.*
- 32. l. 13. a. f. pro *jactarticuli* l. *jactanticuli.*
- 34. l. 7. pro *miseri* l. *misere*; ib. l. 16. a f. pro *gratus* l. *gratiis;* l. 7 a f. pro *exta* l. *ex te.*
- 35. l. 13. a. f. pro *sic* l. *sit.*
- 39. l. 19. pro *propagerentur* l. *propagaretur;* ib. l. 20. pro *ut* l. *et.*
- 43. l. 16. pro *personas* l. *personae.*
- 45. l. 1. a. f. pro *frurilu 'st* l. *frunitu 'st.*
- 46. l. 5. a. f. pro *filiis* l. *filius.*
- 50. l. 15. a. f. pro *tremulam* l. *tinnulam.*
- 51. l. 13. a. f. pro *actos* l. *actas.*
- 59. l. 9. pro *trimetra* l. *metra.*
- 66. l. 12. pro *germanibus* l. *germanitus.*
- 69. l. 11. a. f. pro *Cretulo* l. *Cretula;*
- 73. l. 19. pro *celceamento* l. *calceamento.*
- 78. l. 1. a. f. pro *non* l. *nos.*
- 90. l. 11. a. f. pro 450 l. 550.
- 99. l. 13. a. f. pro *locutis* l. *dictis.*
- 104. l. 11. pro V l. X.
- 108. l. 2. a. f. pro *locutos* l. *locutas.*
- 110. l. 12. pro *angustas* l. *angustos;* ibid. l. 20. pro *videmus* l. *ridemus.*
- 113. l. 7. a. f. pro *pares. Nov.* l. *pares, Nov.*
- 128. l. 6. post *Atellanas* pone interpunctionem minorem; ibid. l. 18. pro *nam* l. *num.*
- 150. l. 6. pro *tutáret* l. *tutarét.*
- 170. l. 9. pro *pistillas* l. *pistillos.*
- 188. l. 1. a. f. pro *Orrem.* l. *Brem.*